

THESES
De
VERITATE
VNICÆ RELIGIONIS
CHRISTIANÆ,

QVAS
Adspirante grātiâ
ΤΗΣ ΕΝ ΜΟΝΑΔΙ ΠΑΝΑΓΙΑΣ ΚΑΙ
ΥΠΕΡΑΡΡΗΤΟΥ ΤΡΙΑΔΟΣ,
cui uni debetur, à quâ reuelatur, ad quam
ducit vera religio,

PVBLICE IN ACAD. IVLIA
SVB PRAESIDIO
GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET PROF.

defendet
M. MICHAEL Schneider
Islebiensis.

Eid. Maij, in magno Iuléo.



HELMAESTADI
In typographéo Calixtino excudit
Henningus Mullerus.

MDCCCXXXIII.



STRENUO, EXIMIO ET
FORTI VIRO,

DOMINO

CHRISTOPHORO
Schneider/

Legionis in Serenissimi Electo-
ris Saxonici exercitu
Ductori,

Fratri meo germano
fraterni amoris & obser-
uantiaë symbolum

L. M. Q.

DO, DONO, DEDICO

M. MICHAEL Schneider Respondens.





DE VERITATE VNICÆ RELIGIONIS CHRIS- TIANÆ.

DEum esse, vnum esse, æternum, materia & corporeæ molis expertem, sapientiæ, potentiæ & bonitatis immensæ, omnes, qui ratione suâ rectè vtuntur, fateri oportet. Neq; possunt ignorare aut diffiteri, huic ipsi cultum sive religionem deberi. Nam, vt Tullius accepit & definiuit, *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, cultum ceremoniamq; adfert.* Norunt iidem, animam suam rationalem vt materiæ, ita quoque dissolutionis immunem esse, & proinde post discessum à corpore superstitem fore: quo in statu ei aut benè aut malè futurum sit, subjectæ videlicet diuino iudicio & arbitrio. Neque dubitari potest, bene habituram, quæ Deum rite coluerit; malè verò, quæ nullo aut prauo prosequuta sit cultu. Hinc itaque fit, vt *nulla gens sit, neq; tam immansueta, neq; tam fera, vt idem Tullius loquitur, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum & colendum sciat.*

2 de Ine
uent.

1 de legib.

II. Cultus verò Dei institui potest vel iuxta ductum luminis naturæ, siue ex præscripto & dictamine rationis, sibi sine peculiaribus diuinis reuelationibus relictæ; vel iuxta eiusmodi, quales jam diximus, peculiariter à Deo patefactas & profectas reuelationes.

A 2

III. Quæ

III. Quæ priore modo progrediatur, ductum rationis tantum sequatur, eique soli citra additionem alieni adquiescat, nulla hodie in orbe terrarum religio reperitur; nec credo, penes ullum unquam hominem ita nudam & abstractam, de quali nunc loquimur, reperiri potuisse. Si verò esset, statueret & ediceret, Dei cultum in studio sapientiae, iustitiae & virtutis consistere, quibus Deus ut maximè polleat, ita quoque unice delectetur; & homines harum exercitio addictos ad similitudinem quamdam Dei se componere, & ad consequendam benevolentiam gradum struere. Nempe, ut pulchrè alicubi loquitur Seneca, *Deum ex omnibus animalibus solus homo intelligit, ut solus imitetur.* At Augustino teste, *religionis summa est, imitari quem colis.* In hanc itaq; sententiam Plato in Epinomide, *Ratio, inquit, omnium diuinissima mundum constituit visibilem: quem vir felix primum admiratus deinde accenditur cupiditate discendi, quaecumq; à natura mortali percipi possunt, sic arbitratus optimè & felicissimè se victurum, & quum decesserit, ad congrua virtuti loca venturum.* Quem ego, ait sub eiusdem Epinomidis finem, *etiam ioco etiam seriò affirmo, quum diem suum obierit, non amplius multorum sensuum, ut nunc, sed unius sortis participem, unumq; de multis factum, felicem, sapientem & beatum fore.* Eundem diuinæ gratiæ conciliandæ modum proponit apud Stobæum in proœmio legum suarum Zaleucus. *ἕκαστον ἔχειν καὶ ἀσχευάζειν θεῖ πλὴν αὐτῆ ψυχῆ, πάντων τῶ κακῶν κατὰ εἶδος. ὡς δὲ πάντα θεὸς ὑπὲρ ἀνθρώπων φαύλων, ἔδδῃ θρασυπέτα δαπάναις — ἀλλ' ἀρετῆ καὶ παρρησίας τῶ καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. διὸ ἕκαστον θεῖ εἰς δυνάμιν ἀγαθὸν εἶναι, καὶ πράξει καὶ παρρησίας, τῶ μέλλοντι ἔσειθῃ θεοφιλή. Unumquemq; animam suam ad eum modum componere oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Si quidem Deus ab improbo homine*

2 de Irâ,
c. 16.

8 de C. D.
c. 17.

Serm. 41.

homine non honoratur, neq; colitur sumptibus, sed virtute ac in-
stituto bonorum iustorumq; operum. Necessesse est itaq; quemuis,
qui quidem Deo carus sit futurus, pro virilitum factotum pro-
posito bonum esse. Isocrates similiter ad Nicoclem: Ἡ γὰρ
ἔστο εἶναι θυμὸν καλλιῶν καὶ θεραπείαν μεγίστην, εἰάν τις βέλπτον
καὶ δικαιοτάτον σεαυτὸν παρέχῃς. Μᾶλλον γὰρ ἐλπίς τις τοῖς-
τις, ἢ τις ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας φράζειν τι τῶν θεῶν ἁμαθῶν. Pulcerrimam victimam & maximum cultum esse
existima si ipse sis optimus & iustissimus. Maior enim spes est, à
diis boni aliquid impetraturos tales, quàm qui multas pecudes
maectant. Adjicio in eandem sententiam versus siue
Menandri, siue Polemonis: huic enim tribuit Iustinus
martyr, libro de Monarchiâ Dei; illi, Clemens Alex-
andrinus V Stromatum.

Εἴ τις (δέ) θυσίαν προσφέρων ὦ Πάμφιλε,
 Ταύρων πὶ πλήθη, ἢ εἰφῶν, ἢ τῆ Δία
 Ἐπέων τοῖς τῶν ἢ κατασκευάσματα,
 Χρυσῶς ποιήσας χλαμύδας, ἢ τοι πορφύρας,
 Ἡ δὲ ἐλέφαντα ἢ σμαράγδα ζώδια,
 Εὐνοῦ νομίζει τὸν Θεὸν καθεστάναι,
 Πλαγὰτ' ἐκείνη, καὶ φρένας κούφας ἔχει.
 Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα θεήσιμον καθεστάναι,
 Μὴ παρθένης φθείροντα, καὶ μοιχῶμνον,
 Κλέποντα, καὶ σφάζοντα θεημάτων χάριν,
 Τάλλοτεια βλέποντα, καὶ πτυμοῦντα
 Ἡ τοι γυναικὸς πολυτελῆς, ἢ δώματα,
 Ἡ κτήσεως, παιδὸς τε, παιδίσκης ἢ ἀπλῶς,
 Ἰππῶν, βοῶν τὸ σῶλον, ἢ κτιῶν. πὶ δή;
 Μηδὲ βελόνης ἔναμμι' ἐπιθυμῆς Πάμφιλε.
 Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών,
 Ὁς ἔργοις ἤδεταί διχόοις, οὐκ ἀδίκοις.

Iustini interpres Iohannes Langus conuertit, vt sequitur: *Si victimas quisquam offerens, o Pamphile,*
Magnum bouum numerum, aut capros, aut quodpiam
Aliud pecus, preciosa vel donaria,
Auroue textum purpuræue pallium,
Vel è smaragdo signa facta vel ebore,
Placare tali se putat modo Deum;
Valde erat ille, mente deceptus leui.
Oportet esse quemlibet virum bonum,
Non virgines & coniuges corrumpere,
Circumuenire, ob rem necare quempiam,
Aliena spectare, atq; concupiscere
Possessionem, coniugem, lautam domum,
Equum, bonem, pecus, puellam, seruulum,
Multis nihil sed est opus: non expetes
Acus vel unum vile filium, Pamphile.
Nam te videt, qui præsto adest tibi, Deus,
Pietate gaudens, non iniquis actibus.

IV. Equidem, vt dixi, minimè credo in vllius
 vmquam hominis mente intra hosce terminos religio-
 nem constitisse, vt non vlteriùs siue in melius siue in de-
 terius progredetur. Exemplo, præter cæteros, esse
 nobis potest Longinianus, cuius & Augustini amœ-
 bæ existant epistolæ, philosophus ethnicus, qui præ-
 claris è rectâ ratione haustis scitis superstitiosa & ine-
 pta admiscet. Verba eius ad Augustinum hæc sunt:
Via in Deum melior, quâ vir bonus, pius, purus, iustus, castus, ve-
ris dictis factisq; suis, sine vllâ temporum mutatorum captatâ
iactatione probatus, & Deorum comitatu vallatus, Dei vtiq; po-
testatibus emeritus, id est, eius vnus & vniuersi & incompre-
hensibilis & ineffabilis infatigabilisq; Creatoris impletus virtu-
tibus, (quos, vt verum est, angelos dicitis, vel quid alterum
 post

epist. 27.

post Deum, vel cum Deo, vel à Deo,) in Deum intentione animi
mentisq; ire festinat: via est, inquam, quâ purgati antiquorum
sacrorum pijs præceptis expiationibusq; purissimis, & abstemijs
observationibus decocti, animâ & corpore constantes deprope-
rant. Sic igitur veris falsa, religiosis superstitiosa adijci-
untur; &, quemadmodum monui, non puto quem-
quam intra cancellos à mero naturali lumine præscri-
ptos se continuisse. Si verò vel hodie reperiat, qui
dicat, ita sese adquiescere, nec aliam siue reuelationem
siue religionem agnoscere vel admittere, quàm hanc
ipsam, quæ ad eum ferè, quem adumbrauimus, modum
è lumine naturæ, ductu rectæ rationis, colligi queat;
plurimum is profectò negocij sit exhibiturus, & vnicam
illam germanam religionem Christianam majore pro-
babilitate & verisimilitudine siue repudiaturus siue im-
pugnaturus, quàm quisquam alius vlli alteri adulterinæ
& falsæ religioni addictus.

V. Nihilominus religio ad istum modum exstru-
cta subsistere, aut potius satisfacere non posset. Insuf-
ficiens enim foret, etiamsi falsitatis fortè non arguere-
tur. Quamquam falsum fuerit, animam immortalem
isthac viâ ad perfectam felicitatem deductum iri. Qui
hoc, inquam, sibi persuaserit, fallatur, etiamsi cæte-
ra, (vt Deum esse, cognoscendum esse ipsum eiusque
opera, & colendum iustitiâ vitæque & morum integri-
tate,) rectè sese habeant. Quòd igitur insufficientis sit,
& quòd peculiare diuinitus factæ reuelationes ne-
cessariæ sint, homini id ipsum negaturo ostendere co-
nabimur. Vbi tamen prius monemus nos demonstra-
tiones evidentes, quibus insufficientia, quam diximus,
& reuelationum, quibus Christiani nitimur, necessi-
tas & veritas irrefragabiliter apud animum quamuis perti-

pertinacem euincatur, non promittere. Huiusmodi enim si in promptu proferre, animus humanus sibi relictus posset non saltim adsentiri, sed etiam non posset non adsentiri: quippe per naturam suam evidenti demonstrationi non valet reluctari, sed cedere & locum dare compellitur. Fides itaq; foret virium naturæ sibi relictæ, nec ad eam habendam requireretur singularis Dei gratia: quem errorem in Pelagianis pridem damnavit tota Catholica Christi ecclesia. Quamobrem satis erit, si probabilitatem euincamus, & ostendamus, temerè & imprudenter facturum, nec salutis suæ curam, vt par sit, habiturum, qui reuelationes omnes repudiarit, & ad cognoscendas ne quidem eas, quæ inter reliquas eo titulo venditatas emineant, Christianas videlicet, animum velit adjicere.

VI. *Tuscul.* Necessitatem itaq; reuelationum primò, aut prorsus euincit, aut certè persuadet consensus omnium gentium. *Omni autem in re consensus omnium gentium lex natura putanda est*, ait Tullius. Notum est & exploratum, omnes gentes in rebus religionem & sacra concernentibus, reuelationes, quas diuinas esse credant, admittere & sequi. De Iudæis nihil nunc dicam. Romani Sibyllinos libros consulebant, & oracula: eadem auscultabant Græci. Quin vnaquæq; gens de sacerdotibus suis persuasa erat, quòd instinctu vel afflatu vel alloquio numinis de sacris ritè administrandis edocerentur. Quamquam miseris nequiter & perniciosè imponebat & insultabat hostis humani generis. Nec aliter in Americâ barbaros olim tractauit, aut etiam hodie tractat eos, qui idololatriæ adhuc dediti sunt, quemadmodum memorant istarum rerum scriptores, inter quos facile excellit Iosephus Acoſta.
Breui-

Breuiter, sicut omnes de numine colendo, ita quoque de legitimo cultu è reuelatione ipsius numinis discendo consentiunt. Quin ipse Philosophorum princeps Plato: ἔδ' ὄν δυνατόν εἶδέναι τῆ ἡντιῆ φύσιν τῆς τοῖς πῶν θεῶν. *Epinom.*
Non potest mortalis natura quicquam certi de his, sacrificiis puta, & cultu numinis, cognoscere. Rursus: *Maiorem religione & pietate ullam in humano genere virtutem reperiri nemo sibi persuadeat. — Sed non docuerit eam quisquam, ei μὴ θεὸς ὑφηγήσῃτο, nisi Deus dux & auctor fuerit.*

VII. Accedit, quòd oppidò pauca sunt, quæ de naturâ animæ, de Deo & cultu Dei è lumine naturæ sciri possunt. De statu profectò animæ post mortem incerta omnia. Hinc Socrates cicutam bibiturus amicis suis, *Tempus, ait, est iam hinc abire, me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. utrum autem sit melius, dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.* Et Seneca: *Fortasse, (si modò sapientium vera fama est, recipitq, nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est.* Sed & in paucorum, de quibus loquebamur, scientiam pauci sese, & non nisi summâ cum difficultate, penetrant, atque adeo ad felicitatem istam, ut ita appellem, philosophicam non nisi pauci perueniunt, ipso iterum Platone teste. ἔ φημι εἶναι δυνατόν ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι, πλὴν ὀλίγων. μέγιστον ἂν ζῶμεν, ἔτο διορίζομαι. *Fieri non posse arbitror, ut homines, præter admodum paucos, felicitatem & beatitudinem in hac vitâ consequantur. Bona tamen spes est, ut post mortem quis ea omnino consequatur, quorum desiderio accensus optimè pro viribus vitam egit atque exegit. Malè itaque prospectum fuerit humano generi, si de beatitudine non nisi pauca, tenuia & quidem incerta cognosci; & ad hanc ipsam, qualis qualis sit, non nisi pauci queant peruenire. Quod pugnarit sine dubio cum*

B

pro-

providentiâ & bonitate diuinâ. Quin alia etiam multa ad vitam honestati iurique naturæ consentaneam facientia adeo elabi prona, ut è mentibus totarum gentium quasi erasa fuerint, sicut in Epitome Theologiæ moralis, quum de Legibus ageremus, ostendimus. Nempe tanta est naturæ humanæ imbecillitas, tanta verò malorum geniorum nequitia & vafricies, ut gentibus sibi met relictis juxta solius etiam naturæ ductum rectè gubernandis lex naturæ, citra peculiare numinis auxilium & singulariter factam reuelationem, non sufficiat. Verè itaque scripsit Theophilus Antiochenus:

l. 2. ad Autolycum.

Quemadmodum mare, nisi subinde reciperet fluminum fontiumque fecundum influxum, & hinc aleretur, propter suam saluginem dudum exaruisset; ita quoque mundus, nisi haberet legem & prophetas, scaturientes dulcedinem & misericordiam & iustitiam & doctrinam sanctorum Dei preceptorum, propter peccatum & malitiam, quæ in eo potenter & copiosè regnant, dudum interisisset.

IIX. Porrò manifestum est hominem sine peccatis vitam non transigere: peccatis autem Deum offendi; offensum placari, peropus esse. At quomodo Deus placari, quomodo homo reconciliari queat, ratio sibi relicta prorsus ignorat; nec sciri id potest, nisi Deus ipse voluntatem suam patefaciat. Nisi igitur ea patefacta sit, secundum rei veritatem, omnibus; secundum sententiam autem vel ipsorum, contra quos modo disputamus, plerisque mortalibus via ad beatitudinem nulla patebit.

IX. Lubet subjungere, quæ hac de re scripsit Scholasticorum princeps Thomas Aquinas. Summâ contra gentes ostendit, necessarium fuisse, ut quæ de Deo, Dei que cultu, & virtutibus integritate morum naturali-

ter

ter cognosci possunt, nihilominus per revelationem
proponerentur. *Sequerentur, inquit, tria incommoda, si lib. 1. c. 4.*
huiusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur.
Primum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. Secundum,
quod illi, qui ad predictae veritatis cognitionem pervenirent,
vix post longum tempus pertingerent. Tertium, quod
investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur,
propter debilitatem intellectus nostri in iudicando, & phantasmatum
permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanent
ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis
ignorant, & praecipue quum videant à diversis, qui sapientes
dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera quae
demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non
demonstratur, sed aliquam probabili vel sophisticam ratione asseritur:
quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per
viam fidei fixam certitudine ipsam veritatem de rebus divinis
hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut
ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet: ut
sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, &
absque dubitatione & errore. Sanè quam difficulter animis
mortalium imprimatur, & quam facile elabatur doctrina aliqua
sublimior & ad mores inculpatos faciens, testis est experientia.
Hinc Plato libro decimo de repub. & Tullius in Somnio Scipionis
revelationes adducunt, Plato quidem Eris rediiviui, Tullius Scipionis
somniaantis, quod intelligerent praeccepta etiam virtutum
moralium absque adminiculo & auctoritate revelationis
firmiter aut efficaciter humanis mentibus vix imprimi posse.
Idem Thomas alteram Summam id ipsum *2. secundae, qu. 2. art. 4.*
eodem fere modo tradidit, quum scripsit, *Necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea, quae sunt supra
rationem, sed etiam ea, quae per rationem cognosci possunt. Et*

B 2

hoc

Lib. 1, c. 5.
1.2; qu. 44,
art. 4.
Qu. 14, a. 10

*boc propter tria. Primò quidem, ut citius homo ad veritatis di-
vine cognitionem perueniat. Secundo, ut cognitio Dei sit com-
munior. Tertio propter certitudinem. Ratio enim humana in re-
bus diuinis est multum deficiens. Cuius signum est, quia Philo-
sophi de rebus humanis naturali inuestigatione perscrutantes in
multis errauerunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset
indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd
diuina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui
mentiri non potest. Quin vtraq; Summâ & Quæstionibus
disputatis de Veritate, ostendere conatur, necessarium
fuisse, ut quædam naturalem cognitionem prorsus ex-
cedentia diuinitus reuelarentur: quamquam rationes,
quas adhibet, parum efficaces sunt. Hæc videtur in-
ter cæteras præcipua: Siquidem homo ordinaretur tantum
ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis
hominis, non oporteret, quòd homo haberet aliquid directiuum
ex parte rationis supra legem naturalem, & legem humanitus
positam, quæ ab eâ deriuatur: sed quia homo ordinatur ad finem
beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facul-
tatis humanæ, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem
& humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege diuinitus
datâ. Cæterum hominem ordinari ad finem, qui pro-
portionem naturalis facultatis humanæ excedat, id
hic sumitur; quod alter, contra quem disputaretur,
sine dubio non admitteret.*

X. Interim certum est, nobili a deo creaturæ, qua-
lis homo est, vel ipsâ naturâ exigente, nobilem admo-
dum finem præstitutum esse; & animam spiritualem
atq; immortalem corporique superstitem ordinari ad
bonum siue perfectionem, quæ ipsâ secundum natu-
ræ proportionem impar non sit, atq; a deo cum poten-
tiam, quâ ad recipiendum actum prædita est, tum de-
sideri-

siderium, quo ad bonum & perfectionem suam anhelat, explere valeat. At, ut diximus, oppidò pauca sunt & incerta, quæ de statu & beatitudine animæ corpori superstitis per naturæ lumen cognoscuntur, aut cognosci possunt; nec illa talia, quæ vel naturalem potentiam rectè perficiant, vel appetitum satient. Ergo ad hæc plenius, & rectius, & uti oportet, cognoscenda opus fuerit peculiari diuinâ reuelatione. Quæ si admittitur, vel necessaria esse conceditur, non erit absurdum, sed potius admodum conueniens, per eam pandi quæ tum quâ finem, tum quâ media consequendo fini facientia, naturæ facultatem non modò adæquent, sed etiam superent. Accedunt denique, de quibus antea dictum est satis, necessitas sciendi, quâ ratione post commissâ delicta Deus propitiandus, & consensus populorum, omnibus videlicet ad reuelationes confugientibus, nemine naturali lumini adquiescente. Quomodo enim medium sit ad salutem adipiscendam diuinitus ordinatum, quo nemo deprehenditur uti? Sanè si Dei propositum esset, iuxta solum rationis præscriptum homines ad felicitatem deducere; idem quoque prouidentia suâ efficeret, ut saltem aliqui eo pacto ad beatitudinem contenderent, nec ipse intentione suâ prorsus excideret.

XI. Esto itaque fixum, verum Dei cultum & veram religionem sine diuinâ reuelatione constitui vel dari non posse. Supererit tandem expendere, vbinam reperiat diuina reuelatio, & quæ nam religio jure meritoque censenda sit hac ipsâ niti, & proinde vera esse. Cuncti quidem, ut è dictis constat, diuinas reuelationes jactant & prætendunt, suisque sacris tamquam fundamentum substernunt: sed olim plurimi & hodie

2. Retr.
cap. 43.

Præfat. in
hisor.

l. 1 in fine.

etiam fortè non pauci ab hoste humani generis decepti
falsas pro veris, & diabolicas pro diuinis habuerunt.
Qui Gentiles vel Ethnici quondam dicti, postea Pagani
cœperunt dici. *Deorum falsorum mutorumq; cultores vsti-*
tato nomine Paganos vocamus, ait Augustinus: & ad Augu-
stinum Paulus Orosius, *Præceperas mihi, uti aduersus vani-*
loquam prauitatem eorum, qui alieni à ciuitate Dei ex locorum
agrestium compitis & pagis Pagani vocantur, & cætera. Idololatri-
ca itaque religio Pagana dicta, quòd, quando-
quidem Christiana Imperatorum palatia & vrbes jam
occupauerat, ipsa potissimùm in pagis inter rusticos &
agrestes homines adhuc hæreret. Vnde idololatrias si-
ue gentiles Prudentius vocat *implicitos pago:* nempe ad-
uersus Symmachum de Theodosio magno loquutus ait,

*Nec pago implicitos per debit aculmina mundi
Ire viros prohibet, quoniam cœlestia numquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.*

Videri quoque possint Pagani dicti, quasi *imperiti & insti-*
pientes, quo sensu princeps glossographorum Hesychi-
us vocem accepit, quum scripsit, Παγανός, ἰδιότης, ἀφρων.
Coniunxit cum priore ipse Prudentius, carmine de Ro-
mano martyre: *Non erubescis stulte, pago dedite.* Occur-
rit autem appellatio illa, quantum mihi licuit obserua-
re, omnium primò in rescripto Valentiniani imperato-
ris ad Proconsulem Africæ, quod videre est Codice
Theodosiano de Episcopis, lege xix.

XII. Pagani igitur sibi ab improbis geniis impo-
ni patiebantur, & responsa dæmonum pro diuinæ vo-
luntatis indiciis habebant. Hinc Sibyllis nomen indi-
derant, quòd *σὺ βυλλῶν*, Dei consilium & mentem enun-
ciarent. De earum numero admodum variant aucto-
res. Insignis autem est locus Pausaniæ, quo vix de Si-
byllis

byllis alius exstat illustrior: quem propterea adijcimus. Sic igitur ille Phocicis, siue decimo & ultimo suo libro: *Supraporticum*, quam Delphis de manubiis Peloponnesiorum Athenienses dedicarunt, *eminet saxum, in quo narrant Delphi stetisse & oracula cecinisse vatem nomine Herophilen, cognomine Sibyllam, quæ tamen Sibylla longè ante vixit. Eam certè, ut quamuis aliam, vetustissimam fuisse comperi, quam Græci è Ioue & Lamiâ Neptuni filiâ natam ferunt, primamq; omnium mulierum oracula cecinisse, & ab Afris Sibyllam nominatam fuisse. Herophile verò est quidem illâ priore recentior: (ita hætenus versionem Romuli Amasæi mutavit & emendavit Frid. Sylburgius.) constat tamen & ipsam ante Troianum bellum viguisse: prædixit enim ad Asiæ & Europæ perniciem Spartæ Helenam educatum iri, propter quam futurum esset, ut Ilium euerteretur à Græcis. Adijcit vixisse eam Sami, Claron venisse, quæ Colophoniorum vrbs, item Delon & Delphos, obiisse Troade, & epitaphium subjungit. Iam post illam, eam quæ fatidica ipsa etiam fuit, è Cumis, quæ sunt in Opicis, (Italiæ ea gens Stephano) & Demo nomine fuisse appellatam, Hyperochus vir Cumanus scripsit. — Post Demo in fæminarum fatidicarum numerum conscripserunt Hebræi, qui supra Palestinam sunt, gentilem suam, Sabbam (pro Σάββα Suidas habet Σαββήλω) nomine, quam Beroso patre, matre Erymanthe genitam tradunt. Hanc alij Babyloniam, Aegyptiam alij Sibyllam vocant. Pausanias itaque IV Sibyllas memorat. Primam, Iouis & Lamiæ filiam, ab Afris Sibyllam dictam. Secundam Herophilen, quæ Erythris, ut non modò Pausanias sed etiam Strabo scribit, nata vitam egit in Samo, Claro, Delo & præcipuè Delphis; auſaq; fuit, Plutarcho auctore, adferere, *seſe ne quidem morte finem vaticinandi facturam, sed circumituram in lunâ, mutatam in faciem, quæ in lunâ dicitur apparere. Tertiam**

ante med.

lib. 14.

de oracul.
Pythiæ.



tiam facit Demo Cumanam, quæ fuerit ipsa, cuius à
Tarquinio emti libri, Romanarum superstitionum vt
L. 13, cap. 11. plurimum auctores. *Inter omnes conuenit, ait Plinius, Si-*
byllam ad Tarquinium superbum tres libros attulisse: ex quibus
igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Sullanis tempori-
bus. Quarta est Aegyptia vel Babylonia. Prima ob ni-
L. 14, cap. 5. rissimæ. Trium itaque Sibyllarum Romæ juxta rostra
statuæ, auctore Plinio: &

Tres fatidica nomen commune, Sibylla,
cap. 8. auctore Aufonio. Tres etiam recenset Solinus. Aeli-
cap. 35. anus duodecimo Variæ historiæ, quatuor. *Sibylla quatu-*
or, inquit, Erythraea, Samia, Aegyptia, Sardiana. Alia sex ad-
buc his addunt, vt uniuersæ sint decem; in quibus numerant Cu-
manam, & Iudeam. Lactantius è Varrone itidem decem
enumerat, latius extenso vocabulo: *quod, inquit, omnes*
Instit. l. 1. *feminae vates, Sibylla sunt à veteribus nuncupatae, vel ab vnus*
c. 6. Vide & *Delphidis nomine, vel à consiliis deorum denuntiandis. Σισὶς e-*
de Irâ c. 22. *nim deos, non θεοὺς, & consilium non βεβλήω, sed βυλλῶ appel-*
labant Aeolico sermonis genere. Itaq; Sibyllam dictam esse qua-
si θεοβέβλω. Refragatur tamen Pausanias, iis, quæ antea
proferebantur, subjungens, *Phaënnis verò, hominis in Cha-*
onibus regnantis filia, & Pelea apud Dodonæos, (quas colum-
bas fuisse fabulati sunt,) vaticinatae quidem sunt diuinitus &
ipsa, Sibylla tamen ab hominibus non fuerunt dicta. Sed, vt
monuimus, Lactantius Varronem sequutus vocabulum
Orig. l. 8, 8. latè accepit; & decem propterea Sibyllas commemo-
rauit. Quem descripsit Isidorus: sequitur etiam Suidas,
instituens tamen & alteram ab hac diuersam enumera-
tionem. Et hos, qui plura voluerit, adeat.

XIII. Verùm enimuerò cùm Sibyllarum, cùm
oraculorum responsa homines à cultu vnus Dei ad cul-
tum

tum creaturarum & dæmonum abduxerunt, neque ju-
stiores vel meliores vñquam effecerunt. Quoties è Se-
natusconsulto Romæ libri Sybillini aditi, toties super-
stitiones auxisse, è Liuius, qui accuratè talia annotauit,
discere possumus. Tullius ipse agnoscit Sibyllinos ver- ^{2 de Diuina}
sus ita fuisse conformatos, *ut, quodcumq; accidisset, præ-*
dictum videretur, hominum & temporum definitione sublatâ.
Quales quoq; sortes oraculorum: quæ olim, cùm alibi,
tum in primis inter Græcos, vtpote idololatriæ & impiæ
vanitati deditissimos, multa exstiterunt. Eminuit in-
ter omnia, quod Delphis erat, vbi Pythia tripodi in-
sistens è subterra neo specu à dæmone afflata sortes edi-
dit, olim quidem metro: cæterùm *Pyrrhi temporibus iam*
Apollo versus facere desierat, ait Tullius. Cujus rei causam
peculiari libro indagare conatur Plutarchus: vt & alte-
ro, quare pleraque oracula prorsus conticuerint, &
quum olim Bœotia *ἐνεκεν χρησθεῶν πολύφωνος* esset, tum
non nisi apud Lebadiam vaticinia ederentur. *Τῶν δ' ἄλ-*
λων, ait, *τὰ μὲν σιγή, τὰ δὲ παντελῆς ἐρημίας κατέσχον.* Tem-
poribus Iuliani, qui imperatorum vltimus oracula con-
suluit, aut statim post, penitus concidisse, & exinde
numquam in honore vel vsurpatione fuisse constat.

XIV. Quin tota ethnicorum & græcorum cùm
mythica tum politica Theologia, (distinctio ea è Var-
rone hausta & ab Augustino laudata alibi explicatur,)
rectæ rationi aduersatur. *illa,* ait Augustinus, *de diis tur-* ^{6 de C. D.}
pia fingendo seminat; hæc fauendo metit: illa mendacia spargit, ^{c. 5 & 6.}
hæc colligit: illa res diuinas falsis criminibus insectatur; hæc eo-
rum criminum ludos in rebus diuinis amplectitur. Sola Natu-
ralis Theologia, si rectè constituatur, non est falsa aut
fabulosa: imò pugnat & cum Mythicâ & cum Ciuili
gentium. *In questione, quam modò suscepimus,* ait alicubi ^{8 de C. D.}

C

Augu- ^{cap. II.}

Cod. 186.

Augustinus, agitur de Naturali Theologia, utrum propter felicitatem, quæ post mortem futura est, uni Deo an pluribus sacra facere oporteat. Vni adjudicat Naturalis Theologia sed pluribus tribuunt Mythica & Ciuilis. Mythicæ, præter ea quæ sparsim apud poëtas, cæterosque auctores leguntur, in primis Diodorum Siculum & Pausaniam, supersunt scriptores Apollodorus Atheniensis, qui tempore Ptolemæi Euergetæ secundi vixit inque Μυθολογία à Photio memoratur; & C. Iulius Hyginus, Augusti libertus. Ille Bibliothecæ suæ siue de Origine deorum commentationi initium fecit, quale è versione Benedicti Aegii Spoletini, vt specimen sit Theologiæ græcæ, subijcimus. Cælus primus orbis vniuersi imperio præfuit, qui ductâ uxore Tellure, priores ex eâ filios sustulit, quos Centimanos appellarunt, Briareum, Gyan, ac Cæum: qui, quod singuli centum manus, & capita quinquaginta haberent, corporis cum magnitudine, tum robore cæteris mortalibus antecelluerunt. Post hosce autem è Cælo Tellus, Cyclopas, Harpen, Steropen & Bron-ten, singulos singulis & his quidem in mediâ fronte locatis oculis peperit. Sed hos Cælus vincetos deiecit in tartarum, is locus est ad inferos tenebrosissimus, qui tantum à terrâ distat, quantum à cælo terram abesse ferunt. Cælus item ex eadem coniuge procreauit Oceanum, Cæum, Hyperionem, Crium, Lapetumq; cognomento Titanas, & nouissimum omnium Saturnum suscepit. Præterea filias Tethyn, Rheam, Themis, Mnemosinen, Phæben, Dionemq; ac Thiam, quas Titanidas nominarunt. Mox vero Terra indignissimè ferens, filiorum in tartara deiectorum internecionem, Titanas, vt patrem dolo aggredierentur, inducit, Saturnoq; adamantinam falcem suggerit. Tum ij omnes præter unum Oceanum in patrem impetum faciunt, & Saturnus præsecta Cæli genitalia deiecit in pelagus, deq; virilium sanguinis profluentibus guttis, Erinnyes, Alecto, Tisiphone, ac Megæra enatae sunt. Cælo demum

demum è regno expulso, & reuocatis ab imâ tartari profunditate
gemanis fratribus, Saturnum imperio suffecerunt. At hic rursus
Titanas fratres compeditos demisit in tartarum, Rheam inde soro-
rem sibi in matrimonium copulauit. Post ubi Cælus ac Terra il-
lum filij sui viribus imperio deturbatum iri prædixerunt, singu-
los, ut quisq; in lucem prodibat & nascebatur, ita deuorabat. Et
Vestam prius, Cererem deinde, & Iunonem: post has Plutonem
& Neptunum deglutiuit. Quamobrem irata coniux Rhea in
Cretam, quo tempore Iouem in utero ferebat, proficiscitur, ubi in
antro Dibæo illum parit, & Curetibus, Adrasteæq; ac Ida nym-
phis Melissarum filius alendum dedit: hæ verò Amalthea lacte
puerum educans. At Curetes in antro armati infantem asseruan-
tes hastilibus scuta, ne vagientis pueri vocem Saturnus audiret,
concutiebant. Rhea verò inuolutum fasciis lapidem pro nato filio
patri deuorandum dedit. Mox, ubi Iupiter iustæ atq; integre
fuit ætatis, Metin Oceani filiam sociam capit, quæ Saturno phar-
macum bibendum propinat: cuius ille vi coactus lapidem prius,
deinde, quos antea filios, deuorarat, euomit: quorum adiumento
Iupiter aduersus patrem Saturnum, ac Titanas bellum gessit. Ve-
rum decimo post huiusce inter eos belli. anna, Tellus victoriam
Ioui, si in tartarum deiectos sibi in societatem adscruerit, vati-
cinata est. Tum is, Campe custode interfectâ, illos è vinculis li-
berauit. Iam tum etiam Cyclopes Iouem tonitru, fulgure, & ful-
mine, Plutonem autem galeâ, & Neptunum tridente condona-
runt. His illi telis armati Titanas subigunt, & coniectos in vin-
cula, atq; in tartarum detrusos, centimanis custodiendos dede-
runt. Quo factò ydem rerum imperium sorte inter se partium-
tur: ac Ioui quidem cæli regnum, Neptuno maris, & Plutoni in-
ferorum loca obtigerunt. Hæc deorum græcorum & ipsius
etiam summi Iouis origio, hæc natura & diuinitas. Quæ
profectò omnia talia sunt, ut eorum homines corda-
tos non possit non pudere. Quamobrem ad mysteria

& monita partim physica, partim ethica, sub hisce tamquam inuolucris latentia, torquere voluit Phurnutus suo de naturâ deorum commentario: quem sequitur Mythologiarum libris Fabius Planciades Fulgentius, lib. 1. c. 7. Fulgentio episcopo Ruspensi à non nemine perperam tributis Ex re & vero Plinius: *Matrimonia quidem inter deos credi, tantoq; æuo ex his neminem nasci, & alios esse grandænos semperq; canos, alios iuuenes atq; pueros, atricolores, aligeros, claudos, ouo editos, & alternis diebus viuentes morientesq; puerilium prope deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adulteria inter ipsos fingi, mox iurgia & odia, atq; etiam furtorum esse & scelerum numina.*

XV. Sicut autem Mythica gentilium Theologia deos multiplicat, eorumq; natales & originem tradit, supra, incestus, adulteria, cædes commemorat; pari modo Ciuilis eò vsque progressa fuit, vt deos stupris, adulteriis, homicidiis colendos esse statueret, & reapse coleret. *Corinthi in fano Veneris plures quàm mille sacrorum ministras meretrices fuisse*, è Strabone in Epitome Theologiae moralis diximus; item *omnibus Babyloniorum mulieribus morem ex quodam oraculo, apud quoddam Veneris fanum cum hospite corpus miscere*: præterea victimas humanas immolatas non modò à Phœnicibus, Carthaginiensibus, Scythis, Gallis, sed etiam à Græcis & Romanis. De Germanis, maioribus nostris, mores eorum describens Cornelius Tacitus, *Deorum, inquit, maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litærefas habent. Gothi, vt Iordanus siue Iornandes auctor est, Martem semper asperrimâ placauere culturâ. Nam victima eius mortes fuere captorum. Cujus crudelitatis Franci, ne quidem Christi fide susceptâ, desinere prorsus potuerunt, si Procopio credimus. De Danis & Nortmannis scribit*

pag. 49 &
scqq.

de reb. Ge-
tici: n. 19.
l. 2 de bel-
lo Goth.

scribit Ditmarus Mersburgensis, quòd certo loco post Chron. l. 1.
exacta singula nouennia mense Ianuario conuenire, &
diis suis XCIX homines, totidem equos cum canibus & gallis im-
molare soliti; à quâ impietate primus eos abduxerit
Henricus Auceps. Quàm bene, inquit, Rex noster fecit, qui
eos à tam execrando ritu prohibuit! Acceptabilem enim Domino
Patri hostiam fert, qui humano sanguini parcit. Apud Hel-
moldum, Rugianorum flamen nonnumquam hominem l. 2, cap. 12.
Christianum litare solebat; huiuscemodi cruore deos omnino de-
lectari dicitur. Pari feritate dii Mexicanorum, si ἀνθρώπων
ποσότης aliquandiu cessassent, se esurire conquereban-
tur; & reges illos barbaros, vt bello hostias quærent,
impellebant. De quorum, vt & Peruanorum, horren-
dis immanibusq; sacrificiis videndus Iosephus Acosta
Historiæ Indiæ libro v, cap. xix & sequentibus.

XVI. Ad summam, religio idololatrica siue pris-
ca, siue recentioris memoriæ, cum theoricè, tum pra-
cticè falsa & absurda est, & cum dictamine rectæ rati-
onis, quod alioquin omnes mortales admittunt, aduer-
sâ fronte pugnat. Siue, vt aliter dicam, in Theologiâ
naturali nemo gentilium acquiescit: quæ verò præter
hanc siue de origine & naturâ, siue de cultu deorum tra-
dunt, neq; veritate neq; soliditate aliquâ subsistunt, va-
nitatis aut absurditatis aut impietatis manifesta. Hoc
ipsum illis sancti Patres, qui primis ecclesiæ seculis vixe-
runt, accuratè & copiosè ostenderunt: adfertâ è con-
trario Christianæ religionis firmitate & sinceritate. Bre-
uiter eos, quorum scripta supersunt, enumerabo. Faci-
unt huc Iustini philosophi & martyris Paræneses ad græ-
cos duæ, Apologiæ duæ & Liber de monarchiâ; Athe-
nagoræ Apologia; Theophili Antiocheni ad Autoly-
cum libri tres; Tatiani oratio contra Græcos; Clemen-

tis item Alexandrini ad eosdem λόγους ἑρμηνεύσεις; Tertulliani Apologeticus, & ad Nationes libri duo, qui cæteris ejus operibus nondum adjuncti sunt; Minucii Felicis dialogus elegantissimus, cui nomen fecit Octavio; Originis contra Celsum libri iix; Cypriani tractatus vel libri duo, vnus ad Demetrianum Africæ proconsulem, & alter de idolorum vanitate; Arnobii libri vii contra gentes; Lactantii Diuinarum institutionum totidem; Eusebii εὐαγγελικῆς ὑπομνήσεως libri xv insignes, & accuratiore interpretatione, quàm quâ hæctenus vti mur, digni; Athanasii oratio contra Græcos; Iulii Firmici Materni de errore profanarum religionum ad Constantium & Constantem Augustos liber. Huc etiam refero Inuectiuas duas, quas Grægorius Nazianzenus, & libros x, quos aduersus Iulianum ἰὸν Σποσάτιω Cyrillus Alexandrinus scripsit; item quæ Symmacho, vt Romana sacra restituerentur, vrgenti opposuerunt Ambrosius oratione prorsâ, (est inter epistolas ejus numero xxxi,) & Prudentius versâ. Accedunt eximia duo opera, Libri videlicet xxii de Ciuitate Dei ab Augustino, & xii ἑρμηνευτικῆς ἡλληνικῶν παθημάτων à Theodoreto, illo latinorum, hoc græcorum ejus ætatis facile doctissimo, conscripti. Quos saltim, si superiora cuncta nequeunt, à studiosis legi oportet. Et hæc fere veterum contra gentiles pro veritate religionis Christianæ è quinque primis seculis supersunt monumenta. Hæc itaque qui euoluerit, absurditatem & nouitatē reuelationum ac religionum ethnicarum manifesto deprehendet; & contra, quanta puritas & sinceritas, quin & antiquitas Christianæ sit, intelliget,

XVII. Oportet enim religioni, quæ vera & à Deo patefacta & profecta sit, hæc adesse, PRIMO ne falsa, absur-

absurda, turpia vel doceat, vel fieri jubeat. At talia tradiderunt & præceperunt reuelationes, quas gentilis superstitio diuinas esse credidit, & his innixi cultus cum veterum, tum recentium, cum Græcorum & Romanorum, tum barbarorum. De Christianâ doctrinâ rituq; nihil tale affirmari potest vel demonstrari.

XIIX. SECUNDO necesse est non esse nouam, sed fuisse, quamdiu fuerint homines. Est enim salutis humanæ ergo diuinitus instituta & reuelata. Quamdiu itaq; necesse fuit homines viam salutis doceri, tamdiu quoq; ipsam exstitisse oportet. Et quamquam successu temporum major aliqua lux & perspicuitas potuit accedere, ipsa tamen essentia, vt sic dicam, religionis, & fundamentale medium consequendæ salutis mutari non debuit. Mutaretur enim, aut quia ipsum insufficiens, aut quia Deus mutasset: quorum neutrum dici potest. Et priore religione quâ totam suam essentiam abolitâ, non posset non turbari orbis terrarum, & pleriq; viâ salutis excidere. Non tantum autem initia superstitionum, quas pagini amplectuntur, nota sunt; sed & deorum, quos colunt, natales, ipsi prodidere. Christiana verò religio, siue, quâ illa innititur, religio populi Hebræi, cum ipso homine cœpit. Certè Moses primus scriptorum, quorum operâ nostram religionem cognitam habemus, ipsis diis Græcorum antiquior est. Quam antiquitatem Eusebius Chronico suo, vt doctrinæ veritatem Præparationis & Demonstrationis libris, operosè ostendit. Verba eius sunt in præmio Chronici à Iosepho Scaligero conuersa: *Hebræorum progenitorem Israël, à quo Iudaica gentis duodecim tribus Israël nomine censentur, Inacho, quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, tempore æqualem fuisse reperi: Semiramidis verò temporibus*
Abra-

Abraham vixisse hominem quidem natione Chaldaum, sed tamen Deo acceptissimum qui primus propheta apud Hebraeos fuisse creditur: Mosē autem, ut verum fatear, infra horum tempora exstitisse, antiquiorem tamen omnibus prisca Græcorum memoria, Homero, inquam, Hesiodo, ipsiq; Troianis temporibus, Castoribus, Aesculapio, Libero patre, omnibus Heroibus, Mercurio, & Apolline, reliquisq; Græcorum dijs, mysteriis, & initiis, atq; adeo ipsis Iouis gestis, quæ à Græcis memorantur: quorum omnium historiam infra ætatem Cecropis fuisse Græci tradiderunt. Hæc præclare & obseruauit, & Chronico suo demonstrauit Eusebius.

XIX. TERTIO certum est, veram religionem numquam, quàm diu orbis est, & homines supersunt, pessum ituram. Quod igitur interiere omnes Græcorum, Romanorum & Barbarorum superstitiones, quod nunc eò res deducta est, vt partim ignorentur, partim non nisi in risum & ludibrium supersint nomina idolorum, verbi gratiâ, apud nos Saxones Crodonis, Iodutæ, Zuanteuiti; hoc ipsum fidem facit, nullam earum religionem esse aut fuisse veram religionem. At contra nostra religio, vt cum homine cœpit, sic in hunc vsq; diem incorrupta permanet, nec vlllo astu vel impetu deleri vmquam potuit. Posterius quidem Israëlis multa in Aegypto ab impio Pharaone perpeffi sunt, sed quò magis premebantur, eò impensius creuerunt & aucti sunt, donec ductu Mosi, transmissio mari rubro, & pererrato per annos XL deserto, Palæstinam occuparunt. Ex eo Scriptura siue libri, è quibus nostra religio deducitur & probatur, in pretio fuere, nec vllâ vel vi vel fraude aboleri vmquam potuerunt. Et licet terminis haut ita laxis, inter duo potentissima regna Assyrium & Aegyptium media esset Palæstina, & ipsa tamen gens & religio
ab v,

ab vtriusq; armis est conseruata. Quin etsi aliquando
populus ob peccata sua Babylonem deportaretur, reli-
gio tamen & Scriptura manserunt illibatae, & populus
auitis sedibus restitutus beneficio Cyri, primi apud Per-
sas monarchæ, sicut à prophetâ Iesaja ante annos du-
centos, quàm res ipsa contingeret, prædictum erat. Si-
cut autem nec Assyrij, nec Persæ, sic neque potentia A-
lexandri magni gentem aut religionem sustulit. Quin
potiùs ipse Alexander Iaddum Pontificem Iudaicum
cultu & veneratione prosequutus est, vt testatum reli-
quit Iosephus. Post obitum Alexandri Aegyptus in po-
testatem Ptolomæi Lagi redacta est; regnum autem Sy-
rorum Seleuco Nicanori cessit. Vtriusque successores
& posterii inter sese mutuò collisi mediam habuere Pa-
læstinam. Pari modo, vt antea à potentiâ & furore sæ-
uissimorum regum conseruata est & gens & religio &
Scriptura. Nihil quidem reliquit intentatum Antio-
chus Epiphanes: *in templo arâ positâ mactabat porcos; dira
supplicia iis, qui liberos circumciderent, irrogabat;
quin abolebatur etiam ubicumq; repertum esset sacrum volu-
men aliquod, & ipsi, apud quos inuentum esset, male peribant:*
quæ verba sunt Iosephi. At vani omnes hi conatus: reli-
gio & Scriptura mansere, tyrannus malâ morte in Persi-
de periit. Etiam, quum potentia Romanorum omnia
subjugaret, antiè euertere politiam Iudaicam non potu-
it, quàm ad esset tempus à Daniele præfinitum. Et tum
euerti debuit, quòd Seruator mundi, in quem Christia-
ni credimus, cuius ergo hætenus conseruata fuerat, ve-
nisset; & vt religio, quæ hucusq; intra vnius prouinciæ
terminos constiterat, per vniuersum orbem immutato
nomine Christiana & Catholica dicta propagaretur.
Quod si euersa non fuisset, esset quod aduersus Scriptu-
rarum

cap. 44. c.

Ant. lib. II.
c. vlt.

l. 12 antiq.
cap. 7.

cap. 9.

D

rarum

rarum auctoritatem objici posset, nunc autem euerfa & Scripturæ veritatem confirmat, & aduersus Iudæos testimonium perhibet. Nam licet & ipsi libros sacros Veteris testamenti possideant, nosque ab iis acceperimus, veram tamen religionem non habere ex eo conuincuntur, quod quum illi libri doceant, Messiam jam dudum venisse, refragentur nihilominus, nec fidem habeant, vti nos Christiani habemus. Interim tamquam librarii nostri eos, quos diximus, codices tam anxiam curam custodiuerunt, & adhuc custodiunt, vt ne quidem apicem perire aut mutari patiantur. Quum autem ita sub amplissimo & potentissimo Romano imperio à Palæstinâ prodiret, & in vniuersum orbem sese diffunderet nostra religio, licet plurimi Imperatores contrà niterentur, & nullo dirissimorum suppliciorum genere non sæuissent, nostram tamen labefactare, suam stabilire non potuerunt religionem. Vltimus Iulianus in odium nostri Iudæis facultatem concessit restaurandi templum Ierosolymitanum, vastitatis à Deo damnatum, sed *metuendi globi flammarum probe fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum, hocq; modo elemento destinatiùs repellente cessauit inceptum.* Ita scribit, qui gentilis ipse fuit, Ammianus Marcellinus; vt nostros Socratem, Theodoretum, Sozomenum, idem contestantes nihil opus sit adducere. Hic ipse Ammianus auctor est, imperante Iuliano & idolatriam restaurare enixè satagente, *amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus & sauis, & simulacrum in eo, Olympici Iouis equiparans magnitudinem, subitâ vi flammarum exustum esse.* Theodoretus dicit *fulmen de cælo delapsum, delubrum vniuersum incendiisse, & ipsam Apollinis statuam in cineres redegisse.* Ammianus fortuitum

l. 23, num. 1.

l. 22, n. 12.

3. hist. c. 11.

tum

rum facit incendium. Sed quidquid sit, manifestum est, Appollinis, qui responsis suis hæcenus mortales in fraudem induxerat, & denuò à Iuliano consuli cœperat, aliorumq; deorum cultum, quem restauratum Iulianus ibat, Deum excindi voluisse, præsertim quum hoc ipso imperante non modò Daphnæi, vt dictum est, sed etiam *Palatini Apollinis templum in urbe conflagrauerit eterna*, hoc est, Romanâ, vt idem testis est Ammianus. Videmus igitur pertinaciam Iudæorum & idololatriam gentilium manifestis diuinæ voluntatis indicis vno eodemq; tempore damnatam esse, & quidem illo ipso, quo Imperator potentiâ & prudentiâ humanâ pollentissimus vtramque, sed hanc potissimùm, stabilire & instaurare niteretur. Breuiter; interit religio, quam Imperatores Romani Romanæ potentiæ robore seruatum & propagatum ibant: contra verò deleri nõ potuit, quam homines nullis opibus, nullis armis, nullâ potentiâ, sed nec admodum insigni aut oculos præstringente auctoritate subnixi docebant & prædicabant. Nec enim aliâ ratione, quàm voce, doctrinâ & prædicatione propagata gentes subegit. Hac solâ vi expugnati cecidere omnes dii, omnia idola gentium ad pedes Dei & Christi eius.

XX. QUARTO quæ vera est religio, efficiet, vt si non penitus omnes, saltim pleriq; , qui ei nomen dederint, vitam & mores in melius mutant, à vitiis abhorreant, virtuti studeant, alieni à truculentiâ, comes & in benignitatem proni, quos tantum aberit injuriam inferre proximo velle, vt contra calamitatibus alienis, tanquam propriis, indoleant, & mederi pro virili maximo opere cupiant. Terrena, qualia sunt voluptates, opes, dignitates, non magni facient, multò minùs tamquam præcipua vel summa habebunt, sed animo à vilibus &

caducis istis abducto ad sublimia, cœlestia & æterna anhelabunt, horum amori & desiderio cæteris omnibus posthabitis. Hi effectus quò in cujusq; religionis professoribus evidentiores, communiore, præclariores fuerint, eò quoq; ipsa purior & sincerior existimari merebitur. Notum autem est idololatricam nullos ejusmodi, sed magis contrarios; Christianam verò copiosos, & ad admirationem vsq;, in suis præsertim primorum illorum seculorum fidelibus, eximios produxisse, & vt producat, totam comparatam esse. Vise Lactantium Inst. lib. III, c. XXVI.

XXI. Cæterum in hac religionum inter sese collatione, opus erit vt qualis Christiana sit, & quid reuelatio, super quâ fundatur, nobis pandat, & quibus literarum monumentis contineatur, breuiter, atq; ita, vt etiam ἀμύντ^ε haut difficulter capere possit, dicamus. Iuxta reuelationes itaq;, quibus Christiana religio innititur, DEVS hominem integrum & innocentem creauit, & ad consequendum finem supernaturalem, id est, cœlestem & æternam beatitudinem, ordinauit. Vbi verò istâ integritate atq; innocentia homo per suam ipsius culpam commisso peccato exutus spe potiundi illo sibi præstituto supernaturali fine penitus excidit, & in miserias ac condemnationem prolapsus fuit, Deus humani generis jam perditæ & æternis pœnis obnoxii miserus promisit se missurum Redemptorem, cujus beneficio & meritis cuncta in integrum restituerentur, peccata expiarentur, amissa iustitia recuperaretur & aditus ad consequendum finem siue bonum supernaturale & summum, præclusus aliàs, recluderetur. Eum venturum certâ fide voluit expectari, & spem illam ritibus & ceremoniis, quæ typi futurorum essent, extra contro-
uerfi-

uersiam sanctissimis & castissimis, ali. Vbi verò venit & mundo exhibitus est, in eum qui venisset, & quæ ad salutem hominum facerent, cuncta impleuisset, credi, & receptum in cœlos glorificari præcipit. Neq; enim diutius, tamquam absens & venturus, typis & sacrificiis venturum significantibus, figurari & adumbrati poterat. Quidquid itaq; typorum, figurarum & umbrarum fuerat, finem habere voluit, & non ampliùs in exhibendum, sed in exhibitum Redemptorem credi, ritusq; quosdam novos ad pietatem & sanctitatem facientes, oppidò tamen paucos & faciles, vsurpari. De cætero humanitatem & beneficentiam erga omnes, iustitiam, castitatem & nullum non veræ virtutis genus seriò coli & adfiduò exerceri iubet: neminem alteri facere, quod ipse sibi ab alio fieri nolit: neminem pro malis mala rependere, sed odia & inimicitias, fatales humani generis pestes, beneficiam officiis superari.

XXII. Ne autem, postquam mortalium multitudo diffusior, & vita breuior esse cœperat, quæ à nobis credi & fieri vult, incerta essent, aut ignorari possent, fecit omnia, quæ in hisce salutem nostram concernentibus rebus dicta, gesta, constituta sunt, nonnullis summæ fidei & auctoritatis libris, siue Scripturis canonicis comprehendi, quibus imperitiæ nostræ mederetur & ad æternam beatitudinem nos erudiret. Atq; alii quidem eorum librorum ante exhibitum Redemptorem (initio à Mose factò, quem Prophetæ subsequuntur) editi sunt, atq; adeo de venturo agunt; alii post exhibitum & de exhibitò. Illi Veteris pacti, hi verò Noui esse dicuntur. Et hi quidem præscribunt & exigunt fidem non implicitam, vt vocant, vel confusam, qualis olim sub Vetere sufficiens erat, sed explicitam & distinctam,

nempe vt credatur in Redemptorem Iesum Christum, Dei Patris omnipotentis, creatoris cœli & terræ, vnigenitum filium, qui è virgine homo natus, vt nos à peccato & damnatione redimeret passus mortuusq; in vitam redierit, adscenderit in cœlos, & inde misso Spiritu sancto per verbum suum & sacramenta homines regeneret, sibiq; ecclesiam colligat, in fine seculi venturus ad iudicium & mortuos omnes resuscitaturus: perque hujus sanctissima merita efficace fide adprehensa adipiscendam remissionem peccatorum & vitam æternam. Quæ religio igitur vtriusq; illius pacti libros agnoscit, & quæ in vtriusq; docentur, am plectitur, atq; adeo in Filium Dei & Virginis, mundi Seuatorem, qui in prioribus venturus, in alteris venisse describitur, ita, quemadmodum expositum est, credit, sola vera religio est, & à fide in Christum Christiana hodie dicitur.

XXIII. Porrò ex ipsâ vtriusq; pacti Scripturâ, quâ religio Christiana nititur, penitiùs introspectâ & attentius consideratâ, etiam aduersus hominem gentilem ostendi posse, Quòd ea Verbum Dei sit; in hunc ferè modum licet declarare. Considera Scripturam & animaduertes proponere eam res, quæ simpliciter captum humanum, imò quemuis creatum excedant, & quorum in mentem absq; Scripturâ & reuelatione nemini venisset vmquam, nempe Mundum è nihilo vi diebus conditum esse, Hominem è terrâ factum, Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, Filium Dei incarnatum morte suâ genus humanum redemisse, resurrexisse, adscendisse in cœlos, rediturum ad iudicium, mortuosq; omnes rediuuios æternis vel præmiis vel pœnis adfecturum. Hæc, inquam, & huiusmodi proposuit & reuelauit aut Deus aut creatura. Non creatura, quia,

quia, vti diximus, intellectum creaturæ superant, nec ea, si sibi relinquatur, quicquam horum capere potest vel adsequi. Si regerat fortè gentilis, vera illa nequam esse, sed conficta; respondeo, Finxit itaque creatura vel mala, vel bona. Non mala, quia bonum imò optimum finem omnia ista respiciunt, scilicet vt homo maximæ dignitatis & perfectionis compos fiat, vt Deo legitimè subijciatur, vt abstineat ab omni non modò malo, sed etiam specie mali, viuat sanctè, piè, justè, castè & inculpate. Horsum minimè tendunt improborum siue hominum siue Spirituum figmenta. Sed neque fingere potuit mens aliqua proba & sancta. De Deo enim destinato consilio dataq; operâ mentiri & figmenta proponere, adeoque Deo, quæ Dei non sunt, supponere, probæ & sanctæ mentis non est. Adde quod mendacia semetipsa soleant redarguere, præsertim si plures, locis & temporibus diuisi, citra vllam inter sese mutuâ communicationem de eadem re mendaciter differant. At diuersos, locisq; & temporibus ab inuicè segregatos Scripturæ canonicæ auctores fuisse constat. Primus ab vltimo & vltimus à primo annis minimùm c10 10 distant. Si itaq; mentirentur & ex suo cerebro figmenta proponerent, non possent in omnibus conuenire & concordia scribere. Necessè est igitur scripsisse singulos non sui animi sensa vel figmenta, sed quæ suggesserit Dei Spiritus; à numine videlicet gubernatos, & vt in vnam eandemque sententiam conspirarent, per diuinam reuelationem siue inspirationem edoctos.

XXIV. Vltèrius, considera Scripturam & apprehendes procedere eam non per demonstrationes aut probationes, sed simpliciter per adsertiones. Deinde à quibusvis viciis deterrere, ad pietatis, iustitiæ & innocentia

centiæ studium inuitare simpliciter præcipiendo & prohibendo, promissâ obtemperantibus, Dei nomine & auctoritate, æternâ vitâ & gloriâ; contumacibus contra æternæ mortis & ignominiaë poenâ intentatâ. Dico, sicut priùs, Aut hæc loquitur & hominibus proponit Deus, aut creatura. Sed neque creatura mala. Quî enim malus aliquis genius sua ipsius vineta cæderet, & tanto opere tamq; validis siue promissis siue minis ad virtutis studium & fugam vitiorum, contra quàm vel agat ipse, vel alios agere cupiat, incenderet? Neq; verò bona & pia mens ex sese vel suopte arbitrio & instinctu cum in modum loqui poterit. Quomodo enim bona & pia, si mentiatur; si Deo, quæ à Deo minimè profecta, affingat? Quàm immanis arrogantia, quanta fuerit impietas, creaturam aliquam vel mortalem hominem in hunc sensum loqui; Ego immensus & omnipotens sum Deus, creator cœli & terræ, collaturus obseruantibus mandata mea æternam beatitudinem, contemnentibus verò æternas poenas? Neque verò minor vel temeritas vel impietas, etiamsi nemo semetipsum Deum esse simulet, si quis injussus Dei nomine loquatur, mandata proferat, præmia promittat, supplicia comminetur. Reliquum est igitur, illa omnia tam honesta, tam pia, tam sancta, Dei eloquia esse, à Deo inspirata & diuino nutu instinctuque literis consignata.

XXV. Hoc sanè fateri oportet omnes, paganos etiam & ethnicos, si loquatur Deus, loquuturum ex auctoritate, simpliciter adserendo, seclusis demonstrationibus & probationibus, vtpote cui propter summam & infallibilem veracitatem nudè adfirmanti fides sit citra omnem exceptionem & dubitationem habenda. Loquuturum præterea secundum inperscrutabilem suam sapien-

sapientiam, quæ aliàs captum hominum superent, & intellectus creati sagacitate inuestigari nequeant: ejusmodi autem, secundum suam ineffabilem bonitatem & misericordiam, quæ ad agnitionem & cultum veri æterniq; numinis, & ad hominum perfectionem & beatitudinem faciant; præceptorum secundum justitiam, suam honestissima quæq; justissima, sanctissima, propositis cõuenienter infinitæ suæ potentæ suppliciis & præmiis, qualia ab immenso rerum omnium & ipsorum quoq; immortalium spirituum domino exspectari fas fuerit, creatarum verò potestatum facultatem excedant, scilicet non corporis modò, sed etiam animæ, iiq; perpetuis & numquam finiendis. Hæc sunt τεκμήρια, quæ verbo, quod Deus protulerit, inesse oportet; quæq; in verbis ullius creaturæ, siue bona siue mala fuerit, inueniri nequeunt. Omnia verò Scripturæ inesse, & passim atq; ubiq; deprehendi, cuius Scripturam perlustranti manifestissimum est. Neq; minùs manifestum, quibusuis aliis scriptis non in esse. Hinc itaq; factum, vt qui inter ethnicos accuratioris iudicii & emunctioris naris, facile animaduernerint præclarissimos suos scriptores parùm conuenienter de diuinis commentatos fuisse. Homerum, vt & Hesiodum, (cujus Theogoniæ specimen ex Apollodoro supra vidimus) acriter reprehendens Plato, inter cætera scribit, Οἱ τυχάνει ὁ θεὸς ὦν, ἀεὶ διπλῶς δοδοτέον, εἴν τετις αὐτὸν ἐν ἔπεισι ποιῆ, εἴν τε ἐν μέλεσιν, εἴν τε ἐν τραγῳδίᾳ. *Qualis Deus est, talis semper est describendus, siue carminibus describatur, siue cantibus, siue tragædiâ.* Quod scilicet nec Homerus fecit, nec Hesiodus. *Homerus*, ait Tullius, *humana ad Deos transtulit, diuina malle ad nos.* Dionysius item Longinus: *Homerus mihi videtur, quum tradit vulnera deorum, factiones, vindictas, lacrymas, vincula, varias*

2 de repub.

1 Tuscul.
περὶ ἕλ. 85
sect. 7.

E

& mul-



*& multas clades; homines qui in bello apud Ilium gesto interfue-
 re, pro virili deos facere, & contra deos homines voluisse. Si-
 cut autem Homerum de diuinis ineptè, ita è contrario
 Mosen aptè & ex dignitate scripsisse agnoscit. Ταύτη καὶ
 ὁ Ἰσραηλιῶν θεσμοθέτης, ὅτε τυχὸν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτοῦ
 δυνάμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, καὶ ἐξέφωκεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰ-
 σολῇ γράψας τῶν νόμων, εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς,
 καὶ ἐγένετο. γενέσθω νῆξ, καὶ ἐγένετο. Sic & Iudeorum legislator,
 vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam pro digni-
 tate notam fecit declaravitq; statim initio proœmij legum sua-
 rum scribens; DIXIT DEVS, inquit; quid? FIAT LVX, ET FA-
 CTA EST: FIAT TERRA, ET FACTA EST. Ista ethnicus
 auctor. Hæc argumenta, non aliunde adscita, neque ab
 iis quæ procul vel extra sunt, sed ab ipsâ Scripturâ, siue,
 quod eodem recidit, Christianâ religione, eisquæ quæ
 Scripturæ & religioni intima sunt, cuius, modò oculos
 aperire velit, manifestis, petuntur: quorum sanè vis fu-
 erit inducere infideles, vt Christianam Scripturam &
 religionem æstimare incipiant, & cognitione dignam
 iudicent; cui fini non solùm idonea; sed etiam sufficien-
 tia, in primis si cum his jungantur, quæ paullò ante pro-
 ferebamus.*

XXVI. Nempe dicebamus, & nunc, vt ad Christi-
 anam perfectior applicatio fiat, repetimus, notam siue
 proprietatem esse veræ religionis, i vt absurditatis con-
 uinci non possit, sed potiùs, si consideretur, tota sibi
 constans, tota sancta & Deo digna deprehendatur. i i vt
 non sit noua, sed cum hominibus cœperit, & quamuis
 quâ circumstantias & accidentaliter, vt ita dicam, vari-
 ationem admiserit, quâ substantiam tamen suam vna ca-
 demque semper manserit. i i i vt non interierit; nec
 interitura sit. Quorum quidem alterum de Christianâ

NON

non nisi ex ipsâ reuelatione per fidem certò intelligitur: colligi tamen potest prudenter inde, quòd à fine mundi hucusque, vt ostensum est, conseruata fuerit. Quæ conseruatio sicut prorsus admirabilis est, nec vlli humano ingenio vel potentia vel industria imputanda; ita porò ad finem vsque mundi firmam & perennem fore nemo prudens dubitabit. IV vt homines in pristinis sordibus non relinquat, multò minus altius immergat, sed inde eductos innocentia & sanctimonia studere faciat. Quæ omnia quàm sunt aliena à gentilismo, tam certò & verè competunt Christianismo.

XXVII. Addi possunt ipsa religionis Christianæ, ex quo Christiana dici cœpit, primordia, & in illis primordiis per orbem terrarum facta propagatio. Quamquam enim ad continuationem siue conseruationem veræ religionis, omne vtriusque pacti æuum complexæ, illa pertinent; peculiarem tamen considerationem, (ad eo admiranda sunt) merentur. Admiranda, inquam, siue spectes quæ docerentur; siue qui docerent; siue qui discerent & amplecterentur. Quæ docebantur, non modò captû humanum superabant, neque è principiis naturâ notis demonstrari poterant; sed etiam inclinationi hominum in prauas cupiditates & voluptates procliui aduersabantur: quæ item promittebantur, à sensibus erant remota, & in altero demum seculo expectari iubebantur. Qui docebant, nec multitudine sub initium, nec generis splendore, nec opibus, aut armis, aut eiusmodi, quæ existimationem conciliare solent, conspicui erant; nec quidquam, quo niterentur, excogitari potest, præter virtutem & opem diuinam, quæ etiam in miraculis, quibus doctrinam confirmarunt, & defectus, quos diximus, suppleuerunt, eluxit. Qui discebant &



fidem habebant, nullas opes, nullas dignitates, aut quæ
 maxima existimant & quibus præsentis vitæ felicitatem
 homines metiri solent, sperare poterant; sed expectan-
 dum magis ipsis erat, ut propter illam suam fidem pa-
 trio lare, fortunis & facultatibus, & quæcumque in his
 terris cara homines habent, mulctarentur, imò ex ipsâ
 vitâ atrocissimo supplicio eiicerentur. Romæ, mox in
 exordio Christianismi, omnium odia incurrerunt; ejecti
 primùm à Claudio, ut est apud Suetonium, deinde à
 Nerone suppliciiis subiecti, & quidem immanibus, *ut fe-
 rarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus af-
 fixi, aut flammam, atq; ubi defecisset dies, in usum nocturni lu-
 minis urerentur,* quemadmodum memorat Tacitus. Exi-
 stimabant Romani gentiles, ut scribit Tertullianus,
*omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse
 causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in
 arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim CHRIS-
 TIANOS AD LEONEM.* Item, *Sarmentitios & sema-
 xios appellatis, quia ad stipitem dimidiij axis reuincti sarmento-
 rum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc pal-
 mata vestis, tali curru triumphamus.* Quis eâ mercede Chri-
 stianus esse in animum induxisset, nisi major & diuina
 creyera impulisset, & veritatem cœlesti & inenarrabili
 virtute persuasisset? Absque hoc vno esset, haberentur
 meritò, qui pro Christo passi sunt, omnium mortalium
 amentissimi: quos tamen & numero plurimos fuisse, (in
 paucos cadere fortè potuisset ejusmodi aliqua infania)
 quin propemodum innumeros, & minimè deliros, &
 insigniter probos, constat. Quomodo autem diuinæ
 prouidentia & bonitati conueniat, permittere, ut tanta
 hominum multitudo, quæ amoris cœlestis veritatis &
 desiderio æternæ salutis, quidquid magni potest fieri
 vitam

vitamque adeo ipsam postponat, in cognoscendâ veritate & consequendâ salute aberret?

XXIX. Apostolos sanè (vt de his seorsim aliquid dicamus) vel improbos vel stolidos fuisse hæcenus numquam auditum est, neq; eos quis vel stultitiæ, vel alius criminis, nisi quòd deos, præter vnum rerum omnium conditorem colere, & Christum ejus filium abnegare nollent, vnumquam postulauit. Fuerunt autem illi cum testes, tum præcones resurrectionis Iesu Christi. Hæc verò nisi potentiâ diuinâ, siue Christo propriâ, siue aliunde communicatâ, fieri non potuit. Si igitur Iesus Christus è morte in vitam verè rediit, & rediuius è terris in coelos adscendit, siue ipse sese, siue eum Deus suscitauit & euexit; dubitari non potest, quin religio, quâ Christum colimus, omnino vera sit, & à Deo instituta & probata. Resurrectionis autem suæ testes in primis esse voluit Apostolos suos. *Quamquam enim visus etiam est amplius quàm quingentis fratribus semel: præcipuos tamen testes, vt diximus, Apostolos designauit. Hinc eorum princeps Petrus, Quem interemerunt, inquit, suspensum in ligno, hunc Deus suscitauit tertio die, fecitq; vt conspicuus fieret, non toti populo: nempe decretum & beneplacitum ejus est, vt per fidem homines seruentur, & non per euidentem cognitionem: tot tamen & talia testimonia humana præsto esse voluit, per quæ, qui non prorsus habete vel præfractò ingenio forent, ad fidem inuitari & induci possent. Fecit igitur, vt conspicuus fieret, non toti populo, sed testibus, quos ipse priùs designauerat, nimirum nobis Apostolis, qui comedimus ac bibimus vnà cum eo, postquam resurrexit à mortuis. Mandauit autem nobis vt predicemus populo, & cum testificatione denunciemus eum esse, qui definitus sit à Deo index viuorum ac mortuorum.* Si hæc ita sese

1 Cor. 15. 6.

Act. 10. 40.

non habent, fuerunt profectò Apostoli omnium mor-
taliū improbiſſimi & mendaciſſimi, *quoniam de Deo te-*
1 Cor. 15. 15. *ſtificati ſunt eum ſuſcitaffe Chriſtum, quem tamen non ſuſcitauit.*
Nec minùs fuerint omnium inſaniſſimi, quando qui-
dem caput ſuum extremis periculis & vitam diris ſup-
pliciis expoſuerunt, vt mendaciis fidem facerent, & vni-
us *ἀνεσκολοπιόμενος σοφιστῆς*, quomodo Chriſtum vocat
de morte Peregrini. Lucianus (ſit venia blaſphemiam deſcribenti; quæ ta-
men, ſi Apoſtoli falſi teſtes, non blaſphemia, ſed veritas
foret) ambitioni & honori conſulerent. Vnde tamen
nec in defunctum, quem reuixiſſe mentirentur, com-
modi multum, in ipſos verò prorfus nihil redundaret.
Quid enim mortuo, qui in morte nihilominus maneat,
proſit, viuum haberi? Quid autem ab eo, quem mor-
tuum norint, exſpectent, qui viuum mentiantur? Con-
ſtantiæ fortè opinionem aliquam aucupari voluiſſe, qui
contra diſputer, dixerit; ne videlicet viderentur, quem
ſemel dominum & magiſtrum delegiſſent, temere de-
ſeruiſſe, aut in eo deligendo erraſſe, aut ſententiam mu-
taſſe: nam quid, aliud dici poſſit, non video. Sed con-
ſtantiam in errore & mendacio nemini in laudem verti,
non poterant ignorare; neq; dubitare, mendacia ſua, in
re præſertim tanti momenti, Deum, religionem & ſalu-
tem hominum concernente, tandè detectum iri. Con-
ſcios itaque ſibi falſi teſtimonii, diuturnitatem qualiſ-
cumq; de conſtantiâ ſuâ opinionis reſpondere oportu-
it. Et ſi maximè diuturnam ſibi promiſſent, qualis
hæc, quæſo, merces adſiduo maximoq; labori, calami-
tati, egeſtati, ſuppliciis? Si igitur Apoſtoli, quem mor-
tuum eſſe nouerant, viuum nihilominus tantis cum ſu-
doribus, doloribus & periculis prædicarunt, mortali-
um omnium aut ſtolidiſſimi aut improbiſſimi fuerunt.

At al-

At alterutrum nemo unquam eis ausus fuit tribuere. Quin si tantâ fuissent vel stoliditate vel improbitate, fieri aliter non potuisset, quin aliquando sese vel stoliditas infigui aliâ doctrinæ absurditate, vel improbitas manifesto quodam crimine prodidisset: quum tamen neutrum hæctenus deprehensum sit. Laudem potius eximia pietatis & innocentia tribuunt, qui in eorum mentionem incidunt. Iosephus Matthiæ filius genere Iudæus, per patrem è sacerdotali primæ vicis, per matrem è regia Asamonæorum familiâ oriundus, prudentiâ & eruditione omnes post Christum natum Iudæos superans, qui tamen Christianis sacris initiatus numquam fuit, (certè nihil eâ de re constat;) præclara tum ipsi Christo, tum Iohanni præcursori, tum Iacobo fratri & apostolo testimonia perhibet. Nam, quod obseruandum, quæ de Apostolis diximus, de ipso etiam Domino, & sine dubio vrgentiore adhuc ratione, dici possunt: nempe si se Dei filium & mundi redemptorem professus, non fuit, qui credi voluit, portentosa siue improbitatis, siue superbia, siue stultitiæ, absolui nequit. Quibus vitiis si obnoxius fuisset, pluribus etiam aliis modis ea sese prodidissent: quorum tamen nulla exempla memorantur, sed contraria omnia. Iosephus de eo scribit, quæ subijcio, utpote notatu appirine digna.

Γίνεται χε' τῶτον τὸν χρόνον ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἶγε ἀνδρα αὐτὸν λέγειν χε' ἰω' γὰρ πρὸς δόξων ἔργων παιητής, διδασκαλῶ ἀνθρώπων τῶ ἡδονῇ τάλιητῆ δεχομένων χε' πολλοὺς μὲν ἰσδαίως πολλοὺς δὲ χε' ἐλλυιωκοὺς ἐπηγάγετο. ὁ χε' ἰω' ἰω'. χε' αὐτὸν σιδείξει τῶ πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σαυρῶ ἔπι τεπιμηκότῶ πιλάτῶ, ὅκ ἐπαύσαντο οἶγε πρώτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχον ἡμέραν πάλιν ζῶν, τ' γείων περφητῶν ταῦτα χε' ἄλλα μυεῖα θαυμάσια πρὸ αὐτῶ εἰρηκότων. εἰς

12 Ant. c. 4.

73

τε νῦν τῶν χειριστῶν ἀπὸ τῆς ὀνομαστικῆς οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῶ-
 λον. Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum cum
 fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & do-
 ctor eorum qui libenter vera suscipiunt: plurimosq; tam de Iudeis
 quàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem ac-
 cusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus quum addixisset cru-
 ci, nihilominus non destiterunt diligere, qui ab initio cœperant.
 Apparuit enim eis tertiâ die viuus, ita vt diuinitus de eo vates
 hoc & alia multa miranda prædixerunt: & vsq; in hodiernum
 diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit. Hæc
 de Domino Iosephus. De præcursores autem, vbi de cæ-
 so ab Arabibus Herodis milite loquitur. Apud Iudeos, ait,
 fuit opinio, iustâ ultione numinis deletum Herodis exercitum,
 propter Iohannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim
 tetrarcha necavit virum optimum, Iudeos excitantem ad virtu-
 tum studia, & inprimis pietatis ac iustitiæ, simulq; ad baptismi
 lauacrum: quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno
 tantum alteroue peccato abstineant, sed animis per iustitiâ pri-
 us mundatis, addant & puritatem corporis. Item de fratre
 Iacobo: Ananus pontifex, ferox ingenio, sectâ Saducæus,
 statutum coram synedrîo fratrem Iesu Christi Iacobum nomine, &
 vnâ quosdam alios, reos impietatis peractos lapidandos tradidit:
 quod factum omnibus in eâ ciuitate bonis & legum studiosis ve-
 bementer displicuit: missisq; ad regem clam nunciis rogauerunt
 mandaret Anano, ne quid tale post hac ageret. nam ne nunc qui-
 dem rectè egisse.

cap. 18.

80 Ant. c. 8.

XXIX. Sed vt eò, vnde cœpimus, redeamus,
 Christianam fidem longè latèq; inualuisse & receptam
 esse, admirandum est, & diuinæ virtuti acceptum feren-
 dum, siue spectes doctrinam, vt diximus; siue doctores;
 siue discipulos: siue, quod omnino addendum est, ad-
 uersarios, qui sese opposuerunt & extinguere ac abo-
 lere co-

lere conati sunt. Quos potentissimos orbis terrarum principes fuisse, nihil tamen efficere, & ne suam quidem religionem tutari potuisse; quin hanc, quum ab illis maximè propugnaretur, corruisse, illam verò, quum maximè premeretur, effloruisse, antea est ostensum. NUM. 19.
Quà in re qui potentiam, prouidentiam & tutelam numinis non agnouerit, planè stipes sit. Addam & concludam insigni loco Augustini, rem præsentem concernente & illustrante. *Illud fidentissimè dixerim, inquit, Christianis temporibus, quanam religio potissimum tenenda sit, & que ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viueret, & me interrogantem non aspernaretur; vel potius, si quis eius discipulus eo ipso tempore, quo vivebat, eum interrogaret, quum sibi ab illo persuaderetur, Non corporeis oculis sed purè mente veritatem videri, cui quæcunq; anima inhaesisset, eam beatam fieri atq; perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam & falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ad hoc sensibili mundo per corpus impressæ varias opiniones errorefq; generarent: quam obrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam; & eodem modo semper se habentem, atq; vndiq; sui similem pulcritudinem. — Quum hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, Vtrum si quisquam existeret, vir magnus atq; diuinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non prauis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus tamen obruerentur erroribus, ita videlicet ut iis non possent vel auderent sese opponere; eum diuinis honoribus dignum iudicaret: responderet credo ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei virtus atq; sapientia ab ipsa rerum naturâ exceptum, nec hominum magisterio, sed intimâ illuminatione ab incunabulis illustratum, tantâ honestaret gratiâ,*

de verâ relig. c. 1.

F

tantâ



tantâ firmitate roboraret, tantâ deniq; maiestate subueheret, ut
 omnia contemnendo quæ prauis homines cupiunt, & omnia perpe-
 tiendo quæ horrescunt, & omnia faciendo quæ mirantur, genus
 humanum ad tam salubrem fidem summo amore atq; auctoritate
 conuerteret. De honoribus verò eius frustra se consuli, quum fa-
 cile possit existimari, quantum honoris debeat sapientia Dei,
 quâ gestante & gubernante ille pro verâ salute generis humani,
 magnum aliquid proprium, & quod supra homines esset, merere-
 tur. Quæ si facta sunt; si literis monumentisq; celebrantur; si
 ab unâ regione terrarum, in quâ solâ vnus colebatur Deus, & v-
 bi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi
 viri, virtutibus atq; sermonibus diuini amoris incendia concita-
 runt; si confirmatâ saluberrimâ disciplinâ illuminatas terras po-
 steris reliquerunt; & ne de præteritis loquar, quæ potest quisq;
 non credere, si hodie per gentes populosq; predicatur, In principio
 erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; si
 ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima sa-
 netur, & tanta luci haurienda mentis acies conualescat, dicitur
 avaris, Nolite vobis condere thesauros in terrâ; dicitur luxuri-
 osis, Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; dicitur
 superbis, Qui se exaltat humiliabitur; dicitur iracundis, Acce-
 pisti alapam, para alteram maxillam; dicitur discordiosis, Diligi-
 te inimicos vestros; dicitur superstitiosis, Regnum Dei intra vos
 est; dicitur curiosis, Nolite querere quæ videntur, sed quæ non
 videntur, postremò dicitur omnibus, Nolite diligere mundum,
 neq; ea quæ in mundo sunt: si hæc per totum orbem iam populis
 leguntur, & cum veneratione libentissimè audiuntur; si post
 tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto
 fertilius & vberius usq; ad barbaras nationes ecclesia pullula-
 runt; si tot iuuenum & virginum millia contemnentium nupti-
 as, castèq; viuentium iam nemo miratur; si hæc sic accipiuntur,
 ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare mon-
 strus.

Ioh. 1. 1.

Matth. 6. 19

Gal. 6. 8.

Lue. 14. 11.

Matth. 5. 39

& 44.

Luc. 17. 21.

2 Cor. 4. 18.

1 Ioh. 2. 15.

fruosum sit; si tali pollicitationi atq; sponsioni per omnes terrarū partes, quas homines incolunt, sacra Christiana traduntur; si hæc quotidie leguntur in ecclesiis, & à sacerdotibus exponuntur; si tundunt pectora, qui conantur hæc implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis diuitiis & honoribus huius mundi ex omni hominum genere vni Deo summo totam vitam dicare volentium, deserta quondam insula ac multarum terrarum solitudo compleatur; si deniq; per vrbes atq; oppida, castella, vicos & agros etiam, villasq; priuatas intantum aperte persuadetur & appetitur à terrenis auersio, & in vnum Deum verumq; conuersio, vt quotidie per vniuersum orbem humanum genus vnâ penè voce respondeat, SVRSVM CORDA SE HABERE AD DOMINVM, quid adhuc oscitamus crapulam hesternâ, & in mortuis pecudibus diuina eloquentia perscrutamur?

XXX. Ad istum itaq; modum propagatâ & dilatâ fide atq; religione Christianâ, si faciem orbis terrarum, quæ ab aliquot seculis fuit, & hoc nostro est, spectemus, emergit nouum argumentum, nempe Quidquid in genere humano cultum, elegans & eruditum hodie est, id totum ecclesia Christi comprehendit: quidquid extra eam inuenitur, incultū, rude, barbarum est, à deo, vt eruditionis & iudicii egestas, quâ laborant, non patiatur quemquam credere, ab eiusmodi hominibus de religionum diuersitate & vnius veritate certi aliquid statui posse. Quoniam itaq; melior pars generis humani, doctior, cultior, humanior, & quam præ alterâ iudicio suo minùs aberrare nemo queat ambigere, Christianam religionem amplectitur; ignorant autem vel improbant non nisi agrestes idololatræ, barbari ἀγροπολάται, deliri Iudæi, truculenti & crudeles Muhammedani: quis adeo demens, vt horum quàm illorum partes & sententiam sequi malit præsertim quum vide-

at hos omnes in vnum collectos illis numero vix superi-
ores, cæteris autem quibusuis dotibus longè inferiores
esse.

XXXI. Hæc igitur argumenta siue singula, siue
aliqua, siue omnia id minimum efficiunt, vt nemo reli-
gionem Christianam & Scripturam, quâ illa nititur &
continetur, prudenter queat reijcere, contemnere vel
negligere. Nullam enim veritatis aut suæ salutis ratio-
nem, quò tamen natura eos impellit, habuerint, qui
postquam intellexerint, religionem quam diximus, præ
omnibus, quæ in toto mundo sunt vel excogitari pos-
sunt, probabilem esse, nihilominus neque ad ipsam, ne-
que ad fundamentum ejus Scripturam cognoscendam
vel considerandam animum velint adijcere. Nam argu-
menta quæ protulimus, quamuis non efficiant, vt reli-
gionis & Scripturæ veritas euidens sit, efficiunt tamen,
vt probabilitas eius & præ omnibus aliis mundi religio-
nibus dignitas & eminentia euidenter patefcat. Quam
probabilitatem, dignitatem & eminentiam qui cogno-
uerit, non potest non prudenter statuere, vltèrius sibi
omnino progrediendum, & religionem atque Scriptu-
ram accuratiùs & familiariùs cognoscendam esse. Quod
qui non fecerit, deterrimæ & profligatissimæ in re sum-
mâ negligentia absolui nequit. Qui fecerit autem, &
fecerit, vt nunc siue ponimus, siue requirimus, amore
veritatis & desiderio salutis; in ipsâ doctrinâ siue verbo,
quòd auditum vel lectum expendit, ruminatur, medi-
tatur, majorem & diuinam quamdam vim, quâ moue-
atur, animo que fides certa, quam tamcumq; euidentissi-
mæ etiam euidentia certitudinem exæquans vel supe-
rans, ingeneretur, sentiet. Eam vim, quam aliàs diui-
nam gratiam, Spiritus sancti opem, virtutem *ἐπίπνευστος* &
testi-

testimonium, aut etiam supernaturale lumen appella-
mus, Deus suo verbo adjunxit, & quasi indidit. nam
quia cum eo arctè adeo cohæret, vt ab eo numquam
penitus absit, imò sine eo numquam adsit, ideo ipsius
quoque verbi esse, siue ipsi verbo inesse dicitur. Ver-
bum sanè si quod edi Deus voluit, & hominibus propo-
ni, non potest non esse summæ maximæque efficaciam,
nempe vt animos hominũ subeat, penetret, & sibi qua-
si semetipso in illis fidem faciat. Nam si diuinum ver-
bum est, & hoc sine proponitur, vt credatur, erit *sanè vi-* cap. 4, v. 12.
uum & efficax, sicut loquitur epistola ad Hebræos, & ad
fidem faciendam, quodcumq; proponitur, quantum
ex suâ parte fuerit, potentissimum. Rectè Albertus Ma-
gnus, *Verbum exiens ab ore Verbi increati cum virtute sonat.* in Ev. Ioh.
Aliter de eo statuere, haut conueniet Deo, cuius hoc c. 4, v. 42.
verbum est, & qui id proponi facit; haut conueniet fini,
propter quem proponitur, nempe vt credatur, & fides
ei certa & firma sine hæsitacione & metu falsi habeatur.
Quum enim Deus in ipso illo verbo ineuidenter nobis
loquatur; nisi ipse cum illo verbo siue per illud verbum
se nobis loqui persuaferit, quis alius aut quibus rationi-
bus id efficaciter & irrefragabiliter euincet?

XXXII. Dico itaq; Religioni Christianæ, siue,
quod eodem vergit, ecclesiæ Christianæ, nempe quòd
ab initio mundi fuerit populus, qui Deum castè colu-
erit, & ex eo exierint, qui vnus veri Dei cultum vbiq;
gentium iam desitum per orbem terrarum instaurarint,
totus propemodum mundus, & clarissima antiquitatis
monumenta, & ipsa, vt sic dicam, rerum natura testimo-
nium perhibet. Hæc ipsa ecclesia suæ antiquitati, di-
gnitati, amplitudini innixa de doctrinâ, & libris ad eam
pertinentibus, quòd diuinitus inspirati veram conse-

quendæ salutis rationem doceant, affirmat; quòd au-
 tem à Mose, Prophetis & Apostolis editi & ad nos trans-
 missi sint, tantâ certitudine, quantâ inter homines testi-
 monii dictio esse potest, testificatur, vt de Homeri, Pla-
 tonis, Demosthenis, Aristotelis, Ciceronis, Virgilii,
 Senecæ scriptis certiores esse nõ possimus, quam sumus
 de Mosis, Prophetarum, Apostolorum. Ecclesiæ autem
 adfertionem & testificationem homo prudens, vt de
 cæterorum argumentorum vi nihil nunc dicam, tanti
 faciet, vt rem totam diligenti consideratione & accura-
 tâ cognitione dignam iudicet. Cui, vbi animo verita-
 tis & salutis cupido operam dederit, Dei gratiam & Spi-
 ritus sancti virtutem, siue diuini verbi efficaciam, de
 quâ paullò antè diximus, sentiens verâ saluificâ fide do-
 nabitur. Ita statuendo & loquendo, cum Pelagianismum
 euitamus, tum vagos malè feriatarû mentium *εἰρησι-
 σμῶν* repudiamus. Illum quidem, dum necessitatem
 diuinæ gratiæ intus & in animo agentis adstruimus;
 istos verò, dum hanc gratiam non nisi per verbum ex-
 trinsecus acceptum sese exferere & efficacem esse, atq;
 adeo cogitationes suo genere supernaturales, & coele-
 stium atq; diuinarum rerum supernaturalem notitiam
 non nisi per verbum sensibiliter, vt ita dicam, tractatum
 obtineri adferimus. Simul etiam ostendimus, in prom-
 tu esse media, quibus homo non omnino stupidus & re-
 rum suarum satagens cum ad agnitionem, tum æstima-
 tionem aliquam veræ & salutaris religionis possit dedu-
 ci, vt suæ negligentia culpam luere appareat, qui salute
 excidunt.

XXXIII. Adjicio dictum Chrysoctomi ex ho-
 miliâ in Natalem Domini, faciens ad rem præsentem.

Tomos
Savil. 01, 72

Τὸ κήρυγμα ἐν ὀλίγοις ἔπεισι ἢ πᾶσαι κατέλαβεν οἰκονομῶν, καὶ

ταί

ἰσοποιῶν, ἀλιέων, ἀστραμμάτων, ἰδιοπῶν πανταχῶς ἀγαθομι-
ζόντων αὐτοῖς. ἀλλ' ἔδεν ἔβλαπτεν ἢ τῷ ἀγαθομύων εὐτέλειᾳ,
τῆς τῷ κηρυττομύων δυνάμεως πάντα ὡραία λαμβάνουσι, καὶ
τὰ κολύματα ἀναρτίου, καὶ τῷ οἰκείῳ ἐπιδεικνυμύων ἰσχυῶ. Prae-
conium verbi, uniuersum orbem, ubi quidem homines habitant,
paucis annis occupauit, etiamsi tabernaculorum opifices, piscato-
res, literarum ignari, & idiotae ubiq; gentium illud diuulgent.
Nihil autem detrimenti vilitas ministrorum attulit, quum praed-
icati verbi vis omnia praecoccupet, & impedimenta amoueat, &
propriam vires demonstrat. Praeclare etiam Origenes: Si ⁴ πειρὶ ἀρ-
quis cum omni studio & reuerentiā, quā dignum est, prophetica ^{χῶν} C.I.
dicta consideret, eo ipso dum legit & diligentius intuetur, cer-
tum est quod aliquo diuiniore spiramine mentem sensumq; pulsa-
tus agnoscat non humanitus esse prolatos eos, quos legit, seu Dei
esse sermones: & ex semetipso sentiet non humanā arte, nec mor-
tali eloquio, sed diuino (ut ita dixerim) cothurno libros esse con-
scriptos. Adde certis ex causis testimonia nonnullorum
doctorum partis Pontificiae. Melchior Canus de Locis
Theologicis libro II, cap. IIX. Externae omnes & humanae
persuasiones non sunt satis ad credendum, quantumcumq; ab ho-
minibus competenter ea, quae sunt fidei, proponantur. Sed neces-
saria est insuper causa interior, hoc est, diuinum quoddam lumen
incitans ad credendum, & oculi quidam interni, Dei beneficio ad
credendum dati. Rursus: Articulo, Deus est trinus; & huic,
Ecclesia non potest errare, & ceteris vniuersis doctrina Christi-
ana principis adsentior per infusam fidem, non quod Iohannes di-
xerit, aut quibus alius homo, sed quod Deus reuelauerit: huic au-
tem, Deus reuelauit, immediate credo à Deo motus per instin-
ctum specialem. Cardinalis Hofius Confessione fidei, scri-
ptā synodi Petricouiensis nomine: Nos libenter concedi- ^{cap. 16.}
mus, accipienda esse Euangelia, ut verba Dei intus docentis &
reuelantis, neq; credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus
loquentem.

Annot. 18. loquentis. Cardinalis Toletus in caput quintum Euan-
gelij Iohannis: Habet quidem fides probationes pro his, qui non-
dum credunt: tamen neque haec necessaria sunt, sicut demonstrati-
ones scientiarum; nec qui credunt, propter eas credunt, sed pro-
pter lumen fidei à Deo infusum, intellectum inclinante ad adsen-
sum. Cardinalis Bellarminus de Gratiâ & libero arbi-
trio libro VI, cap. III: Argumenta, quae articulos fidei nostrae
credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam
reddant, nisi mens diuinitus adiuuetur. Gregorius de Valen-
tia in Secundam secundae, disputatione I, quaestione I;
& in Analyfi libro I: Doctrina Christiana etsi est scripta ver-
bis simplicibus, & caret fere artificio orationis & ornamentis:
nihilominus ita vehementer lectoris mentem commouet, ut alia
nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omnino
diuinam esse, non humanam. Idem, qui decem & septem ad
fidem Christianam inducentia argumenta proposuerat,
illis omnibus subjungit decimum octauum, quod ita
habet: Quum haecenus eiusmodi argumenta pro auctoritate
Christiane doctrinae fecerimus, quae per se ipsa satis prudentibus
esse debeant, ut animum inducant velle credere, tamen nescio, an
non sit argumentum iis omnibus maius, quod qui verè Christiani
sunt ita se animo affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, ut
praecipue quidem propter nullum argumentum, quod vel haecenus
fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud,
nescio quid, quod alio quodam modo & longè fortiùs, quàm vlla
argumenta, animis nostris persuadet, (est autem id reuera diui-
num ipsum testimonium) ad firmiter credendum moueri se intel-
ligant. Hanc experientiam diuini testimonij & sensum, licet
per se quidem non satis sit euidentis; tamen quoniam ab iis, qui cre-
dunt, propemodum clarè percipitur, & ab aliis etiam (iudicio
quodam & significatione) in credentibus ipsis animaduerti po-
test; dico pro multis argumentis esse debere, ad fidem vel con-
stantissimam

stantissimè retinendam, vel etiam de nouo suscipiendam. Et de his hætenus.

XXXIV. Superfunt adhuc, quæ in contentio-
nem cum Christianâ religione venire possint, Iudaica
hodierna siue Talmudica, & Muhammedana, Christiani-
nismo tamen propiores, quàm de quibus egimus. Ab
idololatriâ enim abhorrentes, non nisi vnum Deum,
conditorem cœli & terræ, venerantur & adorant; ho-
minis creationem & lapsum, item resurrectionem mor-
tuorum & æterna cum præmia tum supplicia credunt:
insuper reuelationum necessitatem admittunt; quin
ipsas illas, Sacris canonicis Scripturis comprehensas,
quas nos Christiani, agnoscunt, Muhammedani quidem
vniuersas, Iudæi autem solas Veteris testamenti. Quin
Muhammedani, Christum Virginis filium & à Deo mis-
sum fatentur, vt proinde ad Christianismum propiùs,
quàm Iudæi, accedere videantur. Muhammed Albu-
casimus *iussit credere veritatem Prophetarum & Apostolorum,*
quique ad eos demissi sunt librorum: item Christum filium Mariæ
Spiritum Dei esse, & Verbum eius atque Apostolum; approbavitque
Euangelium & legem Mosaicam. Ita Georgius Almacinus *lib. 1, c. 1.*
Historiâ Saracenicâ, quam Arabicè edidit & latinè ver-
tit vir de instaurandæ Arabicæ linguæ studio apprimè
sollicitus & præclarè meritis Thomas Erpenius. Optan-
dum sanè esset, suo idiomate à nobis legi posse legem
Muhammedis, quam Coranum vocant: aut exstare sal-
tim versionem, cui possemus fidere. Eam enim, quam *A. C. 1143.*
ante annos propemodum quingentos iussu Petri Clu-
niacensis Robertus Retenensis Angligena dedit, mini-
mè satisfacere monent nos linguæ periti: quorum prin-
ceps Iosephus Scaliger ad Stephanum Vbertum hæc
scribit: *Deum immortalem, quàm inepta est vulgaris illa, quam* *Epist. 362.*

G

habe-

habemus interpretatio! quæ quum primò, ut apparet ex præfati-
one Petri Cluniacensis, fideliter administrata esset, postea ambi-
tione audaculi illius, qui eam exornandam suscepit, ut latinius lo-
quentem faceret, ita deprauata est, ut rarò contingat aliquid ef-
se, quod ad mentem Arabicorum faciat. Itaq; nemo ex eâ trans-
latione speret se Alcoranum intelligere. Sed ne ea quidem
nobis nunc in promptu est, quam ante annos complures
legimus, & nonnulla excerpimus: è quibus, quæ huc
faciunt, apponemus, monentes interim, ex aduersariis
nostris, non ex ipso codice depromi. Azoarâ, siue ut
alij efferre malunt, Suratâ secundâ: Christo Maria filio
Spiritus diuinus auxilium atq; testimonium exstitit. Quartâ:
Christo Maria filio animam nostram propriè conferentes vim atq;
virtutem præ cæteris præbuimus. Quintâ quomodo Chri-
stus conceptus & natus, explicatur. Vndecimâ: Iesus
Maria filius, Dei nuncius, Deiq; spiritus & verbum Mariæ cæli-
tus missum exstitit. Duodecimâ: Christo Maria filio commi-
simus Euangelium, quod est lumen & confirmatio Testamenti,
veteris scilicet, & castigamen, ac recta via timentibus Deum.
Decimâ tertiâ idem plurima miracula edidisse; quin-
quagesimâ tertiâ, ei non credentes punitum iri scribun-
tur. Sexagesimâ tertiâ: Euangelium dedimus, ut per ipsum
Dei dilectionem & gratiam adsequerentur. Ista scilicet nomi-
ne & sub personâ Dei proferuntur. E quibus apparet,
non ita abhorrire Muhammedanos à Christo, quemad-
modum abhorrent Iudæi.

XXXVI. Videntur tamen in speciem magis &
verbis tenuis, quàm reapse, canonicam Scripturam, siue
Testamentum & Euangelium, ut ipsi loquuntur, magni-
facere & venerari. Certè eâ diligentia, ad fiduitate & at-
tentione, quâ oporteret, non euoluunt, legunt, expen-
dunt. In multis itaq; deficiunt, & à fundamento salutis
aber-

aberrant. Christum Deum esse Dei que genuinum filium inficiantur: quin Christianos, quia in Deo Trinitatem personarum credant, tres deos credere calumniatur Azoara XII. *Sunt increduli, inquit, affirmantes deos tres esse quia non est nisi Deus vnus.* Vndecima verò Christum à Iudæis interfectum negat, sed alium pro eo. De redemptione igitur humani generis per mortem Christi partâ, & de remissione peccatorum & reconciliatione cum Deo per fidem in Christum obtinendâ nihil intelligunt: quin isthæc omnia reijciunt. Breuiter, Scripturæ tamquã imperfectæ absurdissimum suum Coranum; ipsiq; Christo tamquam ad reconciliationem cum Deo sancientam insufficienti flagitiosum & sanguinarium Muhammedem cum titulo Prophetæ vt vltimi, ita summi, adiungunt, imò præponunt. *Incredibile est dictu, ait Erpenius, quantum ei libro virtutis, maiestatis & auctoritatis adscribant, quantum ei honoris, imò venerationis deferant. Integre de præstantiâ eius exstant libri, quos sine risu homo Christianus non legat. Super omnes eum creaturas excellere, & proximum à Deo locum tenere prædicant: qui irreuerenter eum tractat, vitâ indignum, nec minus flagitiosum esse, quam si ipsum contemneret Deum. Hinc magnâ cum veneratione & reuerentiâ eum accipiunt, & è manibus deponunt, neq; Christianum vel Iudæum attingere eum permittunt: insidere autem ei, immane est piaculum, Christianis etiam & Iudæis capitale. Quin ipsis Muhammedanis nefas est, nisi beue mundi sint & loti, vel extremis eum digitis attingere: quâ de causâ, ne imprudenter peccent, corio eius, extrinsecus, maiusculis literis inscribere solent, NETANGAT EVM NISI MVNDVS.*

Scholii
ad Suram
tam Iosephi.

XXXVI. Videmus autem derestabilem hanc sectam justo Dei ingratitude & peccata vindicantis iudicio magnam orbis partem occupasse, & Christianif-



num multis locis aut minuisse, aut extinxisse. Quam tamen perniciosi dogmatis diffusionem & propagationem nemo admirari debet, qui considerauerit totum quodammodo carnale & crassum esse, mysteriorum propriè ita dictorum expers, & propterea carnalibus & crassis hominibus atque ingeniis accommodatum. Deinde propagatum esse illato gentibus bello, per vim & arma. *Conuerti nolentes interficite*, habet Azoara xix. Bellum autem, quod Muhammed & Chalifæ successores Syriæ, Aegypto, Persiæ & vicinis populis intulerunt, tantos successus minimè habuisset, nisi non modò imbellibus, & voluptate marcidis, sed, quod præcipuum est, iram Dei & præsentis pœnas commeritis illatum fuisset. Tertio sequitur hinc, illis qui sectæ sese aggregassent, in promptu fuisse præmia, qualia animos terrestria amantes allicere solent, nempe opes, dignitates, potentiam, gloriam. Quæ omnia in verâ Christianâ religione alia, imò prorsus contraria fuisse suo superius loco est ostensum.

Num. 17.

XXXVII. Vt autem qualis Muhammedana religio sit, exactiùs intelligatur, ad notas, quas veræ religioni inesse oportere supra diximus, exigenda erit. Prima fuit, veram religionem à rectâ ratione absurditatis conuinci non posse. At Muhammedana summam alterius vitæ beatitudinem in voluptatibus corporis, cibi, potus, Venereis collocat. *Erunt timentes Deum in loco securo, in hortis & fontibus; induent sericum & purpuram: ita discumbent. Et coniugabimus eos puellis pulcerrimorum oculorum. Pudent in iis omnem fructum credentes.* Audi quæso, scribit ad Iacobum Latomum Nicolaus Clenardus, quod mihi narrauit præceptor, dum legeremus locum Alcorani de paradiso, ubi sic scriptum est, **ET IN EO VXORES HABITURI SVNT**

Epist. lib. 1.

MVN-

MUNDAS. *Mundas, inquit, id est, liberas à menstruis, scilicet ut quouis tempore liceat coire. Quid inquam, an in paradiso celebrabuntur nuptialia? Quid ni? at tamen non est futura proles, inquit. Nam voluptatis causâ illic erunt uxores, non propagandis liberis: quin & singulis viris complures illic futurae sunt uxores, pro meritorum ratione; Deusq; huic plus, illi minus virum largiturus est, ut vel paucis, vel multis reddat debitum. Tantarum absurditatum pudicum est philosophos, qui inter Muhammedanos olim, quum Saraceni rerum potirentur, nec dum Turcica barbaries omnia foedasset, in c. 23. Exodi, q. 20. fuerunt. Communiter dictum est, ait Alfonso Tostatus, quòd philosophi inter Saracenos non recipiunt Alcoranum. Auerroës, contra Destructiones Algazelis disputans, ait loquentibus, id est, Theologis Muhammedanis cum philosophis malè conuenire. Auicenna Theologiam Muhammedis ita explicat, vthaut obscure damnet: & longè potiorem felicitatem, cuius pecudi Muhammedi in mentem numquam venerat, nec vlla in Corano mentio fit, indicat. Verba sunt è nono Metaphysicæ, capite VII. Lex nostra, quam dedit Mahomet, dispositionem felicitatis & miserie, quæ sunt secundum corpus, attendit. Sapientibus verò Theologis multò maior cupiditas fuit consequendi veram felicitatem, quàm felicitatem corporum: quæ quamuis detur eis, non tamen attendunt eam, nec in precio habent in comparatione felicitatis, quæ est coniunctio cum primâ veritate, id est, quæ consistit in vniõne intellectuâli cum primâ veritate, qui est Deus benedictus. Sed quia nos in hoc nostro seculo & hoc nostro corpore demersi sumus in multa turpia, ideo non sentimus delectationem illam spiritualem, nec inquirimus eam, nec trahimur ad eam, nisi prius cervicibus nostris excusserimus iugum voluptatis & iræ, & sororum ipsarum. Tunc remouebitur paralysis & speculabimur veram delectationem, quæ est apud regem seculorum, qui est Deus benedictus.*



Et us. Absurdorum absurdissimis illis accedunt falsissi-
ma, vt nunc dicemus.

XXXIIX. Quum enim nouitatem, quam falsæ, si-
cut Antiquitatem veræ religionis notam, & quidem al-
teram, suprà constituimus, declinare vellet Muhammed,
ausus est scribere, *nomen suum suiq; memoracionem in Testa-
mento & Euangelio exstare*, Azoarâ XIII; item *aduentum
suum à Christo prædictum esse*, Azoarâ LXXI. Hac enim v-
nicâ ratione se, quod vellet, obtinere posse, intellige-
bat. Nam sicut Christi religio non est noua, quia eum
Moses & Prophetæ respiciunt & venturum prædicunt:
ita quoq; Muhammeden, si post Christum adfuturus &
aliquam legis mutationem inducturus, à Mose & Pro-
phetis vel certè à Christo prænunciatum (vt nihil dicam
de miraculis, quibus æquè ac prophetico testimonia
destituitur) oportuit. Saracenis igitur apud Theodo-
rum Abucaram: *ὁ χειρὸς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἔγραψε λέγων. Απο-
πέλλω ὑμῖν περὶ τοῦ Μωάμεθ λεγόμενον*. Respondet Chri-
stianus: *τὸ μνημόσυον αὐτοῦ τὸ εὐαγγέλιον οὐκ ἔχει*. Regerit
Barbarus: *εἶχεν. ἀλλ' ὑμεῖς ἐξηλείψατε αὐτό*. *vos expunxi-
stis*. Atq; hoc vltimum miserorum perfugium. Dico au-
tem, Quæ Testamentum & Euangelium de Muhamme-
de habuerunt, expuncta sunt à Christianis aut ante ad-
uentum Muhammedis, aut post. Non ante; quia nulla
fuit caussa expungendi: neq; enim non natus odio po-
tuit haberi, aut, qui Dei & Ghristi amantes essent, odisse
eum, quem à Deo & Christo prædici, magnique fieri
nossent. Nam si quid erasum est, mox sub initia Christi-
anismi ii, qui Christo proximi & carissimi fuerunt, era-
serunt. Ex eo enim numerus codicum in imensum cre-
uit, & exempla per orbem terrarū in omnes gentes spar-
sa & in omnes linguas versa, vt jam memoriam & no-
men,

men, quod per eiusmodi monumenta æternitati semel consecratum esset, abolere ἀδύνατον. Tantum abest, post exortum Muhammedem, qui septimo demum Christiano seculo comparuit, quod hæctenus conseruatum esset, exterminari, vt ne quidem vestigium reliquum sit, potuisse. Hic ἐπ' αὐτοφώρῳ & in flagrante mendacio deprehenditur pseudopropheta; & eadem operâ nouam & omni fundamento destitutam religionem in orbem inuexisse conuincitur.

XXXIX. Ceterum pesti suæ internecinæ remedium videtur inuenisse, dum Testamentum & Euangelium specie quidem tenus extollit, re tamen verâ populi sui manibus excussit; disputari & inquiri omnino vetuit, & vim atque arma persuasionum loco esse voluit. Perquam dolendum autem & amarissimis lacrymis deplorandum est, primarios antistites sectæ cuiusdam, & amplæ quidem in Christianismo, eò vsque processisse, vt hac & aliis rebus Muhammedismo, quàm prisca Apostolicæ ecclesiæ, similes esse maluerint. Nam & ipsi à populo in fundamenta doctrinæ suæ inquiri, & Sacram Scripturam manibus teri non permittunt: symbolum quoque suum faciunt scitum illud Muhammedis, *Conuertere nolentes interficite*: denique ad terrarum gloriam & potentiam, quin totius orbis imperium non minùs adspirant, quàm Muhammedani. Interim maneat, *hos nihil agere, vt optimè scripsit Clenardus, nisi aut è Nouo, aut è Vetere testamento demonstrent, Mahometum successurum Christo.* ep. citatâ.

XL. Tertiam notam veræ religionis Perpetuitatem diximus esse: quartam verò, Sanctimoniam & mutationem morum humanorum in melius. Quæ videlicet à Muhammedismo tantopere aliena, vt per eum, qui ample-


amplexi sunt, ab omni humanitate magis auersi, crude-
liores, rapaciores & alienæ non modò rei, sed etiam vi-
tæ appetentiores, quàm fere vlli ab orbe condito mor-
tales, euaserint. Dogma enim prophetæ sui armorum
vi propagare iubentur: & ad paradisum viam esse do-
centur, fortiter se in prælio gerere. Ex perpetuitate ma-
gis ostenditur, non esse veram religionem, quæ coli de-
fierit, quàm quòd aliqua ad finem vsque mundi dura-
tura demonstrari possit. Durauit autem Muhammeda-
na, Dei mortalibus irati permisso, annos mille: quam-
diu adhuc, & an vsq; ad consummationem vniuersi du-
ratura sit, nouit idem, qui omnia. Christianorum ta-
men esset, enixè operam dare, vt vel aboleatur, vel sal-
tem minuatur. Quod efficiendum ipso illo medio, quod
tantopere formidant, nemq; per Reges Christianos Im-
peratorum Turcico amicos aut foederatos inducendi eo-
rum hierophantæ ad aliquam de religione collationem
siue disquisitionem; succubitori sine dubio, si vel duce
ratione, quam nondum penitus ejurarunt, instituatur.
Qui conatus Deo acceptior futurus, quam bellum illis
inferre, nedum sanguinis Christiani fundendi finem
nullum facere. Et hæc etiam de Muhammedismo di-
cere volumus: de Iudaismo hodierno seorsim
cum DEO, cui vni in omne ævum gloria
sit, acturi.

F I N I S.


















Farbkarte #13

B.I.G.

HESES

De

STATUTE
RELIGIONIS
CHRISTIANÆ,

QUAS

ante gratiã

ΔΙ ΠΑΝΑΓΙΑΣ ΚΑΙ
ΤΟΥ ΤΡΙΑΔΟΣ,

quã reuelatur, ad quam
vera religio,

ACAD. IVLIA

PRÆSIDIO

CALIXTI
D. ET PROF.

defendet

PAEL Schneider
iensis.

in magno Iuléo.



MAESTADI

o Calixtino excudit

gus Mullerus.

CXXXIII.

T 138